



Dissertatio literaria de Aeschyli Choephoris et Sophoclis Euripidisque Electris ad elegantiae rationes inter se comparatis

<https://hdl.handle.net/1874/255544>

II

9

DISSERTATIO LITERARIA.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

DISSERTATIO LITERARIA

DE

Aeschyli Choephoris

ET

Sophoclis Euripidisque Electris ad elegantiae
rationes inter se comparatis,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI PETRI GOTHOFREDI QUACK,

JUR. UTR. DOCT. ET IN FACULTATE JUR. PROF. ORD.,
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

Nobilissimi Ordinis philosophiae theoreticae et literarum humaniorum
decreto,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS


IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

GUILIELMUS GERARDUS VAN DER WEERD,

CAMPENSIS.

Ad diem 21 m. Novembris, A. MDCCCLXXIV, Hora III.



DAVENTRIAE,

APUD G. F. P. ENKLAAR.

MDCCCLXXIV.

FRATRI CARISSIMO
H. J. VAN DER WEERD

V. D. M.


IN FAGO PUDENDIJK.

(Playing's) end, both at the first and now, was and
is to 'hold, as 't were, the mirror up to nature; to
show virtue her own feature, scorn her own image,
and the very age and body of the time his form and
pressure.

SHAKESPEARE, Hamlet,
A. III, Sc. 2.

ARGUMENTUM.

	Pag.	
CAPUT I.		
DE TRAGOEDIA ANTIQUA	1	
CAPUT II.		
ARGUMENTUM TRIUM FABULARUM.		
§: 1. AESCHYLI ORESTIA	15	
§: 2. SOPHOCLIS ELECTRA	37	
§: 3. EURIPIDIS ELECTRA	49	
CAPUT III.		
COMPARATIO TRIUM FABULARUM.		
§: 1. DE RATIONE DIVERSA SINGULARUM FABULARUM	59	
§: 2. DE PERSONIS	72	
§: 3. DE LOCIS PULCHRIORIBUS.	87	
CAPUT IV.		
APPENDIX DE ELECTRA TUM SOPHOCLIS TUM EURIPIDIS		102
CAPUT V.		
EPILOGUS	109	



P R A E F A T I O.

Diu multumque cogitanti mihi de argumento quonam, quod sumerem ad summos in Literis consequendos honores, obtulit se tragoedia antiqua, quam semper in deliciis habebam. Attamen pro viribus meis totam antiquam tragoediam animo perlustrare »periculosae plenum opus aleae” esse putavi. Quare in hoc genere rem, quam tragici poetae pro ingenio suo quisque pertractaverint atque exornaverint, disputare malui quam perdere operam suscipiendo onus iuveniles certe meas superans vires.

Orestis igitur paternae necis ultionem, qua arte ac ingenio singuli poetae finxerint atque depinxerint, perquirere statui.

Quod inceptum, quam sit difficile, probe scio; nam aequum iustumque iudicium hac de re, nisi artis praecepta observes, vix ferre possis.

Hanc ob causam pauca de antiquae tragocdiae legibus praemittere statui; quas deinde comparationi faciendae iuste ac vere adhibere studui; postremo summatim differentiam, quae inter antiquam et recentiore[m] tragocdiam intercedat,

exponere conatus sum. Laudes autem, qualescumque tandem habeat hic libellus, non dubito Praeceptoribus meis ex animi sententia referre.

Ac primus Tu, vir clarissime, *van Herwerden*, Promotor aestumatissime, gratias accipe meas. Tu enim et publicis et privatis lectionibus viam mihi monstrasti, qua ad interiorum Graecae imprimis linguae copiae ac ubertatis cognitionem pervenire possem.

Tibi quoque, clarissime *Opzoomer*, gratias ago pro gratis Tuis lectionibus de elegantiae artis praeceptis ac legibus.

Sit vestro beneficio digna haec mea dissertatiuncula!

Vestrum denique, Amici, consortium atque convivium semper mihi animo infixum haerebit. Per reliquam quoque vitam maneat vestra mei, ut mea vestri memoria!

Ceterum candidi Lectoris benevolentiam hisce poetae verbis imploro:

»si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti.”

CAPUT I.

De tragoedia antiqua.

Quaerentibus de tragoediae natura atque indole erit semper fons uberrima et copiosissima liber Aristotelis de Arte Poetica, in quo hac de re accurate et diligenter agit. Rationes igitur et leges tragoediae antiquae bene noscere si quis velit singula capita adeat, ut rem a summo critico ordine expositam clare perspiciat.

Iam primum quae et qualis sit tragoedia, Cap. VI inquit, exponit. — Definitio autem illa, quamvis primo aspectu simplex et perspicua videatur tamen multorum virorum doctorum ingenia ita exercuit, ut non modo alius illis verbis alia significari putaret, ¹⁾ sed etiam de singulorum verborum vi multum alius ab alio dissentiret. Quam ob causam non inutile videtur ipsa Aristotelis verba afferre; quae ita se habent: ἔστιν τραγωδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἠδυσμένα λόγῳ, χωρὶς ἐκάστου τῶν εἰδῶν ἐν ταῖς μορίαις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἑλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. ²⁾ Tragoedia, inquit, imitando exprimit actionem severam camque omnibus parti-

¹⁾ *Friedr. von Raumer*: Ueber die Poetik des Aristoteles und sein Verhältniss zu den neuen Dramatikern, 1842, non minus quam 22 interpretationes citat! Cf. etiam *Lessing*, Hamb. Dramat. cp. 77.

²⁾ Usus sum editione Immanuelis Bekkeri, Berolini, a^o. 1873.

bus absolutam atque certis finibus circumscriptam, ornato sermone; orationis ornamenta sua cuique (tragoediae) parti adsunt; res agitur, non narratur; misericordia et terrore ceteri eiusdem generis animi affectus corriguntur et emendantur.

Primum autem haec in re de vi vocum *ἐλεός, φόβος* et *τὰ τοιαῦτα παθήματα*, quae et qualis sit, deinde quaenam sit natura *τραγικῆς καθάρσεως*, postremo quodnam munus tragoediae antiquae fuerit, ducibus viris rerum peritis quaerere conabimur.

Locus est notissimus ¹⁾ apud criticum subtilitate insignem, *Lessingium* dico, qui haec de significatione vocum *ἐλεός* et *φόβος* habet: „Misericordia,” ait „non solum is est animi affectus, quo alicuius miscreamur, sed prorsus omnes animi motus continet, qui humanitate originem ducant (überhaupt alle philanthropische Empfindungen), item terror is est animi affectus, quo molestia afficiamur malorum non solum futurorum (Unlust über ein uns bevorstehendes Uebel), sed etiam malorum sive praesentium sive praeteritorum. Hac interpretatione etiam verborum: *τὰ τοιαῦτα παθήματα* sensum comprehendit. Misericordia igitur, ut paucis dicam, commovemur et excitamur ob oculos habentes mala aliena, terrore contra excutimur mente positus malis alienis ²⁾).

¹⁾ Hamb. Dram. ep. 17.

²⁾ Perspicuitatis causa apponam verba *Heinrichii Altii*: Theater und Kirche in ihrem gegenseitigem Verhältnisse, Berlin 1849, p. 189, sqq.: *Mitleid* bezeichnet die rege Theilnahme an den Schicksalen des Anderen, *Furcht* lässt uns, in dem wir uns selbst an die Stelle des Andern denken, was jenem begegnet, auf uns beziehen.

De voce *πάθημα* adhuc sub iudice lis est. Lessingio (l.l.) animi perturbationes i. e. *Leidenschaften*, Baumgarto ¹⁾ vero *Empfindungserscheinungen* (animi affectus) sunt. Hic, quacstione accurata de usu Aristotelico verborum *πάθος* et *πάθημα* instituta, satis certis argumentis demonstrat Aristotelem vocibus illis non promiscue iisque eadem significatione usum esse, ²⁾ sed alteri (certe in libro: de Arte poetica) vim vocis Germanicae: *drastisches Leiden*, alteri vim vocis „*Empfindungserscheinungen* subesse probat. Quod attinet ad vocem *πάθος*, ipse Aristoteles, ut saepius solet, lucem affert ³⁾. *Πάθος* inquit, ἐστὶ πρᾶξις φθαρτικὴ ἢ ὀδυνηρά, οἷον οἱ τ' ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι καὶ αἱ περιωδυνίαι καὶ τρώσεις καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Iam paucis, nam quot capita tot sententiae hac in re ⁴⁾, *πραγμῶν* quam dicunt *κάθαρσιν* absolvam. Lessingius (l.l. cap. 78) Aristotelis sententiam huc spectare putat: neque nos nimis aut parum misericordia commoveri oportet, neque metu nimis aut parum percuti decet. Sunt, qui uberius de hac tragica expiatione, ut ita dicam, disputarint pluribusque, quale quid sit, exponere conati sint. Tuce tamen clarius, ut solet, Lessingius l.l. mihi videtur rem expedivisse; huc fere redeunt, quae hac de re

¹⁾ *Hermann Baumgart*, Pathos und Pathema im Aristotelischen Sprachgebrauch; zur Erläuterung von Aristoteles Definition der Tragödie dargelegt, Königsberg, 1873.

²⁾ Haec est sententia Bonitzii in opere suo, quod inscribitur: *Aristotelische Studien*, 5e Heft., pag. 5.

³⁾ A. P. cap. 11, 1452, b. 11.

⁴⁾ *F. Susemihl* in »Jahn's Neue Jahrbücher für Phil. und Paedag. 1862, Heft. 6, Abth. 1, pag. 395—424 et *Ueberweg*, *Aristoteles über die Dichtkunst*, Berlin, 1869, pag. 58, Anm. 25.

dicit: illud munus tragoediae est, ut misericordia terrorque, quibus afficimur, mutuo temperentur seque invicem moderentur, ita ut inde animi status prodeat, quo neque aequitas animi turbetur neque se colligendi potestas ei deficiat. ¹⁾ Perdignus est locus ille in libro Lessingii, qui diligenter accurateque perlegatur.

Iam ex quot elementis ²⁾ constare tragoediam oporteat, videamus. *Ἀνάγκη*, ait Aristoteles ³⁾ πάσης τραγωδίας μέρη εἶναι ἕξ, καθ' ἃ ποιά τις ἐστὶν ἡ τραγωδία ταῦτα δ' ἐστὶ μῦθος καὶ ἤθη καὶ λέξεις καὶ διάνοια καὶ ὄψις καὶ μελοποιία. Harum partium plurimum valet ὁ μῦθος vel, ut Arist. interpretatur, ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις.

Fabula (ὁ μῦθος) enim continet varios modos, quibus per res gestas aut ad felicitatem aut ad miseriam aliquem perducere videamus. Pertinent porro ad fabulam αἱ τε περιπέτειαι καὶ ἀναγνωρίσεις. Idcirco iure „principium ac quasi vitam tragoediae” Arist. fabulam vocat.

Quae sint ἤθη (mores) facile perspicitur. Etiam vis vocis λέξις (sermo) abunde patet. Quod attinet ad διάνοιαν (Gedankenbildung) habet hoc Arist. ⁴⁾: διάνοια, ἐν αἷς ἀποδεικνύσιν τι ὡς ἐστὶν ἢ ὡς οὐκ ἐστὶν, ἢ καθόλου τι ἀποφάνονται. Reliquas partes, ὄψιν καὶ μελοποιίαν leviter tantum tangit, quippe quae potius ad artem scenicam atque musicam pertineant, minime vero ad

¹⁾ Cf. *P. van Limburg Brouwer*, Denkbeelden over het Gr. treurspel, p. 14 sqq.

²⁾ Dico „elementa” (μέρη, εἴδη) quippe quae differant a partibus (μέρη κατὰ τὸ μέρος) tragoediae ut infra videbimus.

³⁾ A. P. cap. VI, 1450, a. 8.

⁴⁾ A. P. cap. VI, 1450, b. 11.

artem poeticam. Haec de partibus, quarum singulas Arist., solito more, copiosius recenset explicatque, quam pro libelli ratione nobis liceat.

Necesse vero est ea, quae Arist., inprimis de *fabula* et *moribus*, ¹⁾ sqq. capitibus exposuerit, paullo accuratius diligentiusque perscrutemur. Iam primum quoniam tragoediam omnibus partibus absolutam esse oporteat, initium, media pars et finis adsint necesse est. Magnitudinis porro ratio habenda est (τὸ γὰρ καλὸν ²⁾ ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστίν), qua in re normam hanc esse voluit Arist.: ³⁾ ἐν ὅσῃ μεγέθει κατὰ τὸ εἶκος ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων συμβαίνει εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταβάλλειν, ἰκανὸς ὄρος ἐστὶ τοῦ μεγέθους.

Iam vero fabulam, in qua una persona agit, unam et simplicem esse negat. — Fabula enim imitatur res gestas; munus autem fabulae hoc est, ut rem simplicem eamque totam ponit, cuius singulae partes ita inter se cohaerere debeant, ut, si quantulamcunque mutaveris, omne vinculum statim solvatur et confusa perturbataque fabula fiat. — Hac ratione cohaerere fabulae partes debent.

Fabulae aut ἀπλοῖ (simplices) aut πεπλεγμένοι (im-

¹⁾ Cap. 7—18 agit Arist. de *fabula*. — Quae cap. 15 de *moribus* habet, transposuit Ueberweg, l. l. Anm. 65 post cap. 18; cap. 12 de partibus fabulae interpolatoris esse putat. (l. l. Anm. 53).

²⁾ Pulchri *attributiones* sunt magnitudo et ordo; pulchri vero *definitio* Aristotelica haec est: καλὸν ἐστὶν ὃ ἂν δι' αὐτὸ αἰρετὸν ὢν ἐπαινετὸν ᾗ, ἢ ὃ ἂν ἀγαθὸν ὢν ἠδὲ ᾗ, ὅτι ἀγαθὸν (Rhetor. I, 9, 1306, a. 34 sq.)

³⁾ A. P. cap. VII, 1451, a. 12.

plicatae) sunt ¹⁾; *fabula implicata* continet aut *περιπέτειαν* (fortuna conversionem in contrarium) aut *ἀναγνωρισμόν* (agnitionem), aut duas hasce res habet coniunctas; contra *fabula simplex* ambobus caret.

Iam quae sit *περιπέτεια* ipse Arist. nos docet cap. 11 init.: ἔστι δὲ περιπέτεια μὲν ἢ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολή et addit: καὶ τοῦτο δὲ κατὰ τὸ εἶδος ἢ ἀναγκάσιον. Affert Oedipum Regem ²⁾, qua in tragoedia nuntius Corinthiacus, Polybi mortem Oedipō narrans, primum Regem magno gaudio afficit, deinde vero, postquam nuntiavit se olim Oedipum, puerum adhuc, e regis Laii famuli manibus acceptum, Polybo regi Corinthiaco tradidisse, spem metumque Oedipo inicit.

Agnitio secundum Arist. ³⁾ est ἐξ ἀγνοίας εἰς γνῶσιν μεταβολή ἢ εἰς φιλίαν ἢ ἔχθραν τῶν πρὸς εὐτυχίαν ἢ δυστυχίαν ὄρισμένων. Cuius rei exemplum iterum Oedipum Regem affert ⁴⁾; ἀναγνωρίσις enim in hac tragoedia cum *περιπέτεια* coniuncta est, quod laudat Arist. ⁵⁾. Hoc genus ἀναγνωρίσεως coniunctae cum *περιπέτεια* idecirco optime se habere putat, quod misericordia vel metu his in rebus maxime commoveamur.

Tragocdia autem, cuius argumentum nititur *fabula implicata* pulcherrima est (A. P. c. 14).

Iam, quae et qualis sit natura personae, qui primas partes agit, multum interest.

Primum minime decet probum virum, cui fortuna

¹⁾ A. P. cap. 10 init.

²⁾ Vs. 924—1185.

³⁾ A. P. cap. 11, 1452, a, 30.

⁴⁾ l. l.; cf. vs. 1182—1185.

⁵⁾ Sic etiam in *Soph. Electra*, 1174—1228 ἀναγν. cum *περιπ.* coniuncta est.

faveat, incidere in miseriam (οὐ γὰρ φοβερὸν οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μικρὸν ἐστίν), neque malos homines, qui rebus adversis utantur, beatos fieri oportet (ἀτραγωιδότατον γὰρ τοῦτ ἐστὶ πάντων). Deinde sceleratos perditosque homines ne miseros ex beatis fingat, poeta caveat, neque enim hac in re misericordia neve metu commovemur. Restat igitur, ut poeta virum pingat moribus neque prorsus optimis nec prorsus pessimis. Sit (ita monet Arist. c. 14. 1453 a. 8) vir nobilis; virtute aut iustitia ceteros non antecellens; miser fiat non nequitia sua neque sceleribus, sed gravi quodam vitio aut culpa. Oedipum huiusmodi optimum exemplar proponit. Pulcherrimarum tragoediarum fons atque principium sunt fabulae, quarum hae sunt forma faciesque.

Quod attinet ad misericordiam terroremque, duabus rationibus spectatores movere potest poeta. Aut enim ἐκ τῆς ὄψεως (aspectu) aut ἐξ αὐτῆς τῆς συστασέως τῶν πραγμάτων (ipsa rerum compositione) hisce animi affectibus commoveri possumus ¹⁾. Earum rationum altera maxime valet et optimi poetae est. Eiusmodi enim fabulam esse oportet, ut auditione solum et fama si quis acceperit, quomodo res gestae sint, aequae misericordiae metuque commoveatur, ac si ipse spectaculum aspexisset.

Iam vero quibus rebus hi animi affectus excitari possint, quaerit Arist. Ἀνάγκη δέ, αἰτ ²⁾, ἢ φίλων εἶναι πρὸς ἀλλήλους τὰς τοιαύτας πράξεις ἢ ἐχθρῶν ἢ μηδετέρων. Sed neque hostium erga hostes facinora, neque eorum,

¹⁾ C. 14 init.

²⁾ 14, 1453, b, 15; cf. Lessing, Hamb. Dramat. c. 37.

qui nec amicitiae neve inimicitiae vinculis teneantur, malefacta satis misericordiam nobis movent. Et pergit: ὅταν δ' ἐν ταῖς φιλίαις ἐγγένηται τὰ πάθη, οἷον εἰ ἀδελφὸς ἀδελφὸν ἢ υἷος πατέρα ἢ μήτηρ υἷον ἢ υἷος μητέρα ἀποκτείνει ἢ μέλλει ἢ τι ἄλλο τοιοῦτον δοῦναι, τὰτα ζητητέον ¹⁾). Consanguineorum igitur inter se flagitia aptissima sunt ad hos animi affectus movendos. Variis vero modis traditione famaue uti potest poeta; sed caveat ne pulchri sensum laedat.

Primo loco ²⁾ *prudens* admittere scelus potest aliquis, ita ut sciat quem trucidare velit, v. c. *Medea*, quae prudens pueros interfecit ³⁾).

Secundo loco *imprudens* scelus perpetrare potest aliquis, ita ut postea agnoscat, quem trucidaverit, v. c. Oedipus, qui imprudens suum patrem iugulat.

Ultimo denique loco *imprudens* scelus parare aliquis potest, ita ut, antequam facinus admiserit, agnoscat quem trucidare velit ⁴⁾).

Earum rationum tertiam primae et secundae anteponebat Aristoteles.

¹⁾ l. l. b., 20— Quod praeceptum multum valet ad recte aestimandam Sophoclis Electram.

²⁾ l. l. b., 27—37.

³⁾ Errat *Lessing*, Hamb. Dramat. c. 27 dicens: Die erste (Klasse von Begebenheiten) ist: Wenn die That wissentlich mit völliger Kenntniss der Person, gegen welche sie vollzogen werden soll, unternommen, aber nicht vollzogen wird. Cf. Arist. verba, l. l. b. 37 sqq.: ἢ γὰρ πράξει ἀνάγκη ἢ μή, καὶ εἰδότες ἢ μή εἰδότες — τούτων δὲ τὸ μὲν γινώσκοντα μελλήσαι καὶ μὴ πράξει χεῖριστον τὸ τε γὰρ μισρὸν ἔχει, καὶ οὐ τραγικὸν ἀπαθεῖς γάρ. — cf. Ueberweg, l. l. Anm. 62.

⁴⁾ Cf. *Lessing*, Hamb. Dramat. c. 38.

Agnitionum (ἀναγνωρίσεων) quatuor sunt genera ¹⁾. Primo loco *notae* (σημεία) agnitioni ansam praebere possunt.

Deinde ipse poeta fingere potest signa agnitionis; ut facit Euripides in *Iphigenia in Tauride*, in qua tragoedia ²⁾ Iphigenia per litteras agnoscit fratrem suum Orestem, hic vero ipse se Orestem esse affirmat.

Tum agnitioni locus esse potest *διὰ μνήμης*, τῷ αἰσθῆσθαι τι ἰδόντα, ut in *Odyssca* Ulysses in aedibus Alcinoi audito Troiae exitio, per lacrymas aperit, quis sit (Od. VIII, 522 sqq.).

Quarta denique agnitio est ea, quae fit per conclusionem (ἐκ συλλογισμοῦ), ut in *Choephoris*: ἔτι ἕμοίε τις ἐλήλυθεν, ἕμοιοι δὲ εὐδαίε ἀλλ' ἢ Ὀρέστης· οὗτος ἄρα ἐλήλυθεν.

Omnium vero agnitionem ea est optima, quae ex ipso rerum progressu nascatur, ut in *Oedipo Rege* Sophoclis. Secundum autem locum tenent agnitiones per conclusionem.

Iam in componenda fabula huic rei praecipue operam det poeta, ut se esse fingat, quem nobis ob oculos proponat ³⁾. Quoscunque animi affectus depingere velit, his ipsis commoveri et excitari eum oportet. Porro robur floremque (τὸ καθόλου) fabulae teneat, ex hisce *ἐπεισόδια* suo operi inserat ut inde crescat tragoediae summa ⁴⁾. Illud v. c. τὸ καθόλου est fabulae, quae nomen trahat ab *Iphigenia*: sacrificabitur puella; iam in summo discrimine

¹⁾ A. P. cap. 16.

²⁾ Vs. 725—826.

³⁾ A. P. cap. 17 init.

⁴⁾ l. l. c. 17, 1456, b. sqq.

mirabili quodam casu clam manibus poparum eripitur; traducitur in terram peregrinam, ubi mos ferebat, ut omnes advenae Deae sacrificarentur; cuius rei cura puellae traditur. Non ita multo post advenit frater puellae (quam ob causam et quem ad finem advenerit non ad fabulam pertinet); prenum morti dare vult sacerdos; sed aperit miser quis sit, quo fit ut salvus evadat." Haec fons tragoediae. Caveat porro poeta, ne nimia *ἐπεισόδια* tragoediae suae inserat. ¹⁾

Suas cuique tragoediae esse oportet *δέσεις* et *λύσεις*. Nodum (*δέσιν*) vocat Aristoteles ²⁾ rerum progressum usque ad *μετάβασιν εἰς εὐτυχίαν* i. e. transitum ad salutem vel ad miseriam; quae deinde sequantur usque ad finem tragoediae, *λύσιν* (solutionem, enodationem) vocat.

Quatuor deinde tragoediae genera nominat Arist; tragoedia enim aut *implicata* est (*πεπλεγμένη*) continens *περιπέτειαν* et *ἀναγώρισιν* aut calamitatibus abundat (*παθητική*), v. c. Sophoclis Ajax, aut mores depingit (*ἠθική*). Quartum genus est "οἶον αἰ' τε Φορκίδες καὶ Προμηθεὺς καὶ Ἔσα ἐν Ἄιδου." Sed de hoc genere dissentiunt viri docti ³⁾.

¹⁾ l. l. b., 15 sqq.: ἐν τοῖς δράμασι τὰ ἐπεισόδια σύντομα, ἢ δ' ἐποποιία τούτοις μὴκύνεται.

²⁾ A. P. c. 18, 1455, b. 26 sqq.

³⁾ Vahlenius tragoediam simplicem (*ἀπλήν*) memorat et excidisse quaedam putat ante verba: ἢ δε παθητική, κ. τ. λ.; mox (1456, a. 2) legit: τὸ δὲ τερατώδες οἶον, alii: τὸ δὲ τέταρτον ἢ ἀπλή; genus simplex sane memorare poterat Arist., quippe quod tragoediae genera accommodasse videatur fabulae generibus (vid. Ueberweg l. l. Anm. 84) et fabulam simplicem ut supra vidimus, inter genera *μύθων* memoret — Ueberweg conicit: τὸ δὲ τερατώδες οὐ τραγικὸν οἶον, cet; abhorrent enim aspectu monstrosa a tragoediae natura (l. l. Anhang, p. 106.)

Iam transeamus ad *mores* ¹⁾. In tragoedia mores pendent a proposito (*προαιρέσει*) quod verbis aut factis aliquis assequi conetur.

Primum omnium mores esse bonos (*χρηστά*) oportet. Deinde poeta curet, ut apti (*ἀρμόττοντα*) sint, v. c. virum fingere licet fortem non vero feminam. Tertio loco poeta petat τὸ ἕμοιον, i. e. caveat, ne a natura humana mores abhorreant. Ultimo denique loco mores sint sibi constantes (*ὁμαλά*), ita ut persona inconstanti natura tamen per totam tragoediam semper sui similis sit et maneat.

Quaerere porro poetam oportet in moribus depingendis aut τὸ ἀναγκαῖον (*necessitatem*) aut τὸ εἰκός (*verisimilitudinem*): hanc ob causam in compositione tragoediae uti machina (*μηχανή*) non decet, neque adhibere deum ex machina oportet. Verisimilia et naturae convenientia sint omnia; quae si ita esse non possint, ἔξω τῆς τραγωδίας ponat poeta.

Ultimo denique loco hoc semper teneat poeta, ut, si qua morum vitia depingat, ea exornet et quasi ad humanitatem informet.

Haec fere sunt, quae disputet Arist. de moribus. Agit iam Arist. c. 19—22 de sermone; quum vero ea, quae hae de re praecipiat, magnam partem spectent ad grammaticae artis elementa quae ipsius aetate admodum parva essent et quasi in nascendi initiis versarentur, omittere haec melius videbitur.

Pauca tamen addere lubet de necessitudine, quae intercedat inter carmen epicum et inter tragoediam ²⁾.

¹⁾ A. P. cap. 15.

²⁾ A. P. c. 23 sqq.; cf. c. 5, 1449, b, 9—20 ubi de *temporis unitate* hisce verbis agit Arist: ἔτι δὲ (*διαφέρουσι*) τῇ μήκει ἢ μὲν γὰρ ἔτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίεδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν, ἢ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ.

Ut fit in tragoediis, sic etiam epici carminis fabula nitatur rebus gestis necesse est; caveat vero poeta, ne tota fabula utatur, immo id agat, ut, excerpta parte aliqua, episodiis insertis augeat amplificetque poema ¹⁾. Hac in re exemplar proponit *θεσπέσιον Ὁμηρον*, qui totum bellum Troianum ab initio usque ad finem canere recte sensit boni poetac epici non esse.

Quot genera tragoediae, tot epici carminis genera. Est carmen epicum aut simplex, aut implicatum aut mores describit aut calamitates nobis ob oculos proponit poeta. Adsint etiam *περιπέτεια* et *ἀναγνωρίσεις*. Sic Homeri Ilias generis est *ἀπλοῦ* et *παθητικοῦ*, contra Odyssea generis est *πεπλεγμένου* (quippe quo agnitio contineatur) et *ἠθικοῦ*.

Haec omnia epico carmini cum tragoedia communia sunt. Quae *ἐποποιία* propria sint, iam videamus ²⁾. Differt carmen epicum a tragoedia magnitudine et metro. Utitur poeta epicus hexametro; est enim metrum stabile et quasi elatum ideoque sermoni epico aptissimum ³⁾. Quod attinet ad magnitudinem, uno certe aspectu conspicuum esse epicum carmen oportet. Tetralogiae amplitudini si convenit epicum carmen, sane modum excedere non videtur et facile *σύνοπτον* est ⁴⁾. Quoniam autem poeta epicus res narrat, tragicus vero poeta agentes personas inducit,

¹⁾ A. P. c. 23, 1459, a. 34: *ἐν μέρεσσι ἀπολαβῶν ἐπεισοδίων κέχρηται αὐτῶν πολλοίς.*

²⁾ A. P. c. 24, 1449, b, 17—1460, b, 5.

³⁾ cf. A. P. c. 24, 1459, b, 35 sqq.

⁴⁾ ibidem b, 21.

augere et amplificare poema suum episodiis potest ille, minime vero hic.

Iam monet Aristoteles, ut quam minime se ipse poeta epicus loquentem inducat: narrando enim imitari res gestas, ut summi Homeri fuit, ita cuiusvis boni poetae epici sit. ¹⁾

Careant porro et carmen epicum et tragoedia τοῦ ἀλόγου, i. e. quidquid absurdum et vix credibile est actione absit. Quod si adsit, ponat poeta ἔξω τοῦ μωδείματος, ²⁾ ut fecit Soph. O. R., vs. 112 sqq. (cf. vs. 729 sqq.) Rogat Oedipus ubi et qua ratione interfectus sit Laius; at eum iam antea de ratione, qua Laius obierit supremum diem certiore factum esse verisimilius esse videtur; immo vero: cum enim Laii caedes actioni tragoediae antecesserit, non ita mirum videtur esse id, quod rogat Oedipus; posuit enim hanc caedem extra fabulam poeta. Contra vituperat Arist. Sophoclem, quod in Electra Pythiorum mentionem fecerit (vs. 680 sqq.)

Restat ut paucis exponamus, quibus rebus tragoediam epico carmini antecellere putat Arist. Idem est munus carminis epici ac tragoediae. Metus et misericordiae excitantur, sed carmen epicum narrando, tragoediae vero personis agentibus hoc propositum sequitur. Accedit, quod tragoedia arte musica et ipsarum rerum scenicarum aspectu (ἔψει) voluptatem auget. ³⁾ Praeterea spectatae eadem ac lectae tragoediae

¹⁾ A. P. c. 24, 1460, a, 7 sqq.: αὐτὸν γὰρ δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν εἰ γὰρ ἔστι κατὰ ταῦτα μιμητής.

²⁾ A. P. c. 24, 1460, a, 29; cf. c. 15, 1454, b, 7 sqq.

³⁾ A. P. c. 26, 1462, a, 16 sqq.

perspicuitas inest. Quae perspicuitas etiam hac re augetur, quod compressa rerum expositione εἰσυνοπτότερος tragoedia est, quam carmen epicum. Deinde una et simplex tragoedia est, quod non de quovis carmine epico dici potest. Uni enim eidemque carmini epico plurium tragoediarum argumenta inesse possunt. Una vero et simplex fabula si breviori epico carmini subest, aut mutila et quasi truncata videtur; tenuis contra et ieiuna est si poema iustae longitudinis modum non excedat. ¹⁾

Haec fere sunt, quae de tragoediae natura atque indole disserat Aristoteles.

¹⁾ A. P. c. 26, 1462, b, 5 sqq.

CAPUT II.

ARGUMENTA TRIUM FABULARUM.

§ 1.

Aeschyli Orestia.

Aeschyli tragoediarum ea ratio erat, ut poeta tres simul fabulas coniungere soleret: quarum singulae ita inter se cohaerebant, ut coniunctim quasi unam fabulam efficerent. Iam fortuna accidit, ut eiusmodi fabulae tres ad nostra tempora pervenerint. Illa *τριλογία* constat *Agamemnone*, *Choephoris* et *Eumenidibus*. De quarum meritis, si digne iudicare aliquis velit, necesse est necessitudinem attendat, quae inter eas intercedat, ut, bene perspecto vinculo, quo hae tres fabulae inter se coniunguntur, Orestiam tamquam unam fabulam ex artis praeceptis aestimet. Nobis vero pro instituto nostro imprimis de *Choephoris* iudicium ferendum est, quippe qua fabula idem argumentum tractetur, quod Sophocles Euripidesque sibi tractandum proposuerunt. Attamen quum *Choephorae* quasi secundus actus sint magni dramatis, quod, *Orestiae* nomine celebratum, *Agamemnone*, *Choephoris* et *Eumenidibus* constat, necesse est paucis etiam *Agamemnonem* et *Eumenides* persequamur, fusius vero accuratiusque *Choephoras* exponamus,

ut consilium poetae et rationem fabulae clare perspiciamus.

In *Agamemnone* res Argis in aedibus regiis agitur. Prodit in scenam speculator, qui, in excelsa quadam aedium regiarum parte collocatus, misere queritur continuas vigilias, exspectans flammaram signum, quod Agamemnon, Troia capta, se daturum promiserat. Subito, dum loquitur e longinquo flammam exardescentem vidit, cuius rei laetus properat reginam certiozem facere (vs. 1—39). Speculatore profecto intrat Chorus senum Argivorum, celebrans Atridarum propter Helenam adversus Troiam expeditionem, quam, quamvis per decem iam annos multis calamitatibus Graecos obruerit, tamen sperant fore ut exitum habitura sit prosperum; scilicet Ζεὺς ἕνιος auctor iis fuit belli suscepti, neque is Paridem poenas non dare sinet.

Ipsi autem defecti annis domi manserunt, exspectantes belli finem (40—82). Dum cantant, vident Clytaemnestram, famularum caterva stipatam, sedulo in sacris faciendis occupatam, de cuius rei causa dux Chori eam interrogat; negato vero responso, Chorus denuo cantum incipiens (104), itineris varios casus repetit; ac primum portentum illud feti leporis a duabus aquilis comesi memorat, quod sic vates Calchas interpretatus esset (vs. 126 sqq.): ¹⁾

Χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ Πριάμου πόλιν ἄδε κέλευθος

πάντα δὲ πύργων

κτῆνη πρόσδε τὰ δημοπληθῆ

Μοῖρα λαπάξει πρὸς τὸ βίαιον

¹⁾ Usus suum Guiljelmi Dindorfii poetarum scenicorum Graecorum editione quinta, Lipsiae, 1869.

οἶον μή τις ἄγα Θεόθεν κνεφάση προτυπὲν στόμισιν μέγα Τροίας
στρατωθέν. — οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἀγυὰ
πτανόισιν κυσὶ πατρὸς
αὐτότοκον πρὸ λόχου μογερὸν πτάακθι θυμένοισι
στυγεὶ δὲ δείπνον ἀετῶν ¹⁾).

Precatur Calchas, ut bene illud portentum evenire
sinat Diana, sed metu sollicitatur, ne dea ventis ad-
versis exercitum vexatura esset sibi que sacrificium
vindictura esset „νεικέων τέκτενα σύμφυτον αἰνῶν, οὐ δεισήνορα
(vs. 154); et addit severum monitum:

μίμνει γὰρ φοβερὰ παλίνερτος
οἰκονόμος δολίκα μνάμων μήνης τεκνύποιος.

Talia cum boni tum mali ominis vaticinia cecinit
Calchas.

Sequitur carmen antistrophicum (vs. 160—257)
in quo chorus sollicitudinum onus Iovi imponit
omnipotenti, cui cedere Uranus et Saturnus de-
bebant, quique mortales sapere docuit ex divina lege
πάθει μάθος; sed Agamemnon Calchantis vaticinia non
respiciens, sociis fame et inopia vexatis navibusque
procellis fractis, deinde fremitu sociorum victus va-
tem obsecrat, ut Dianae placandae rationem sibi aper-
riat, qui Iphigeniae caede solum iram deae averti
posse declarat; mox invito primum animo tum metu,
ne sociis relinqueretur, sollicitatus facinus scelestum
in se admittit. Ipse teneram virginem, ducibus sine
misericordia adhortantibus, quasi victimam arae im-
poni iubet immotus teneritate et forma iuvenili.
Ex hoc facinore quae sint consecutura nec scire se
nec dicere posse fatetur Chorus; vaticinia tamen Cal-

¹⁾ Οἴκῳ; S. Karstenus: αἰνῶς quod melius esse videtur;
στρατωθέν, Karstenus: κρατηθέν.

chantis irrita non fore sibi persuasum habet: *Δίκα* enim *τοῖς μὲν λαθροῦσι μαθεῖν ἐπιφύρει τὸ μέλλον*. Ceterum sperat fore ut Agamemnoni et Clytaemnestrae omnia feliciter fausteque eveniant.

Canto finito in medium prodit dux Chori iterumque venerabundus Clytaemnestram causas sacrificiorum rogat; Troiam captam iis nuntiat; dubitantibus tandem flammaram signum a regina memoratum fidem firmat, diisque gratiam habent pro rebus tam prospere gestis. Describit regina conditionem miseram urbis captae speratque fore ut victores deos Troianos et loca sacra colant nec lucri spe adducti diis iram moveant (257—350). Iam aedes intrat regina et Chorus grato animo Iovem omnipotentem laudat, quod telum opportune in Paridem direxerit. Culpam semper poena iusta manet nec Paris, hospitii violator, deorum vindictam subterfugere potuit; quam multa, eheu, Graecis mala intulit perfida Helena, oblita mariti desiderio confecti; quae omnibus in aedibus lamentationes doloresque ob filios, patres, ab hostibus necatos, quorum ne cadavera quidem, arma solum et cineres in patriam reductos lugere possint. Gravi odio cives in Atridas exardescunt, sed graviore ira dii saeviunt in eos, qui caedibus cruentis polluti sint. Sceleribus felicem perdunt Furiae, magnos spiritus sumentem tangit Iovis fulmen; quapropter sors omni invidia odioque carens optanda:

κρίνω δ' ἄφρονον ὄλβον

μήτ' εἶην πτολιπόρθης

μήτ' οὖν αὐτὸς ἀλούς ὑπ' ἄλλων βίον κατίδοιμι. (Vs. 471 sqq.)

Revertenti ad reginae nuntium Choro flammaram signum vehementer dubitationem movet. Deorum

dolo an rumoribus capta regina? Ecce iam redit Clytaemnestra, Praeconem appropinquare nuntians, qui certe melius certiusque flammaram fumo laetitiae causam praebeat!

Iam Praeco in scenam prodiens, patria terra diisque salutatis, Chori sollicitudines, nuntiato Agamemnonis adventu, tollit; recenset pericula, labores, ex quibus incolumis salvusque evasisse gaudet. Quibus auditis Chorus tandem:

υπερωμενος λογοισιν εις ανκίνομαι. (Vs. 583).

Iam invitant Clytaemnestram, ut etiam nuntium laetum audiat; regina redit, et simulata mente se regem laute excepturam esse declarans abit. Praeco a Choro de Menelai reditu interrogatus, eum, navibus procellis fractis, procul evanuisse narrat. Tum Praecone digresso, carmine antistrophico a Choro celebratur Helena:

ελέναυς, ελαυδρος, ελέπτολις. (Vs. 689).

Comparat eam cum leone, qui primum cicur mansuetusque, pueris amicus, mox adultus indolem veram ostendit ovesque dilacerat et domum perdit. Venustate eximia urbem Troianam ingressa acerbis Priami evasit

υμφοκλαυτος Ερωίς. (Vs. 749).

Scelus ex scelere oritur; *Δίκη* vero iustas domus amat, aedesque sceleratorum hominum effugit, sacra vero tecta petit et omnia conficit. (Vs. 781).

Ecce, dum Chorus cantat, prodit in scenam Agamemnon una cum Cassandra curru triumphali vectus et comitum caterva stipatus; cui senes gratiam habere affirmant, quod fortiter bello calamitatibusque finem imposuerit; homines alienorum malorum doloris

speciem, ut fit, vultu prae se ferre monent. Ad quae populorum rex, diis laudatis pro rebus feliciter peractis:

εἰδὼς λέγοιμι ἄν, εὖ γὰρ ἐξεπίσταμαι

ὀμιλίας κάτοπτρον, εἰδῶλον σκιᾶς,

δοκῶντας εἶναι κάρτα πρηνεμεῖς ἐμοί. (Vs. 838 sqq.)

Quare sibi curae futurum esse testatur, ne inde damnum domus capiat. — Iam intrat regina et oratione longius producta miseram suam, viro absente, conditionem tristissimis verbis exponit, seque laetitia de cari coniugis reditu elatam esse fingens ¹⁾, Agamemnonem e curru descendere et per tapetes pictos aedes regias intrare iubet, vs. 855—913; quos primum rex, invidiam deorum reveritus, calcare recusans tandem post levem altercationem precibus uxoris obsequitur. Digredientes Chorus, qui tacitus eorum sermonibus interfuit, cantu prosequitur: „Semper mihi, quamquam invito, lugubris illa Furiarum cantilena animo obversatur; ipse meis oculis Agamemnonem reducem vidi et salutavi; nihilominus infandum nescio quod malum animus mihi praesagit, quod dii avertant! Utinam Regem incolumem salvumque servent!” Multa sibi terrorem metumque praebere, quae tamen tacere quam eloqui mavult. Canto finito, iterum in scenam prodit Clytaemnestra, Cassandram introire iubens; cui misera vates morem gerere tacita recusat. Quam ob rem regina irata, eam mente captam putans, discedit. Tum Cassandra, benigne adhortante Choro ut durae necessitati cedat os

¹⁾ Vs. 895—902 utpote ab falsario compositos eiecit *Dindorfius*.

aperit, et Apolline invocato, quod domum infandis sceleribus maculatam subire fato suo cogatur, obscure primum, dein apertius tum aedibus Atridarum imminetia mala calamitatesque tum ipsius sortem tristem lugubremque horribili divino quodam furore rapta vaticinatur, vs. 1072—1342. Cui vaticinio Chorus primum vix fidem haberi posse putat, dein vero virginis verbis horrendis territus pavore metuque sollicitatur, necdum ad ipsum Agamemnonem spectare vaticinia sacerdotis credere sustinet. Subito ex intimis aedibus auditur vox regis vulnere letali icti, quocirca choreutae, quid hac in re sibi agendum sit, consilium ineuntes deliberant: quorum alius aliam sententiam profert; tandem vero in ipsam rem inquirere statuunt.

Eece vero ipsa Clytaemnestra prodit mariti caedem patefaciens et excusans; miratur Chorus mulieris impudentiam, mortem et exsilium ei minatur; culpam in ipsum regem regina transfert; Helenam novam tantorum malorum causam Chorus repetit, Iovis potentiam agnoscit, regem misera morte extinctum luget, necis auctoribus poenam iustam deprecatur. Regina incredibili impudentia facinoris scelesti auctorem se esse non abnegat, immo vero profitetur.

Dum loquitur, intrat Aegisthus regio ornatu, caede Agamemnonis glorians, cui Chorus superbienti mortem lapidibus paratam minatur. Ignaviae ac timiditatis eum accusat, regnum appetentem ironia perstringit, irato gladium corripienti adversatur (vs. 1653). Hoc temporis discrimine advolat Clytaemnestra, discedere Chorum minitantem iubet Aegisthum-

que ulciscendi cupiditate flagrantem secum abducit.

Haec est summa Agamemnonis, fabulae maiestate et gravitate insignis.

Iam veniamus ad Choephoros, quorum argumentum antequam copiosius exponamus, paucis necessitudinis ratio habenda est, qua arctissime ambo fabulae inter se coniunctae sint.

Iam primum Agamemnonis argumentum eiusmodi est, ut, nisi hanc tragoediam cum Choephoris coniungas, improbi victoria sceleribus parta frui videantur. Hoc tamen poeta minime voluit, quare in ipso Agamemnone passim Orestes futuri paternae caedis ultoris mentionem iniecit, cf. vs. 1280 sqq., vs. 1535 sqq. ¹⁾ (1562 sqq.), 1646 sqq. et 1667. — Contra in Choephoris nonnulla sunt, quae, Agamemnone non adhibito, obscura videantur, e. g. Choeph. 491 sqq. et 981 sqq. cum quibus locis cf. Agam. 1109 et 1382 sqq.

In *Choephoris* scenae locus Argis, ad Agamemnonis sepulcrum constituitur. Procedit una cum Pylade Orestes, quorum hic, invocato Mercurio, ut sibi in patriam reduci auxilium ferat, cincinnum in patris tumulo consecrat. Qua in re occupatus, mulierum atris vestibibus indutarum turbam conspicit (interque has adest Electra) quam ob causam, quid sibi velint illae supplices scire gestiens, paullulum cum Pylade recedit. (Vs. 1—21)

Intrat Chorus, causamque adventus sui exponit:

¹⁾ Qui locus vide an sic sanus sit:

δίκης δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάται ξίφος
πρὸς ἄλλαις θηγάταισι Μοῖρα.

se ab regina quippe somnio exterrita missas esse, ut inferias ad Agamemnonis Manes placandas faciant; sanguinem enim in terram profusum semper manere. Postremo suam sortem tristem lugent, quippe quae servitutis conditione oppressae omnia laudare debeant, quae a domina perpetrentur, sive iusta illa sive iniusta sint; iramque et indignationem compescere coguntur (22—83).

Iam Electra, dubia quid faciat quidve loquatur, Chorum, ut consiliis suis adiuvet, obsecrat:

γένεσθε τῶνδε σύμβουλοι πέρι
 τύμβῳ χέουσα τάσδε κηδείους χάς
 πῶς εὐφροῦ εἶπω, πῶς κατεύξωμαι πατρί;
 πότερα λέγουσθα παρὰ φίλης φίλη φέρειν
 γυναικὲς ἀνδρί, τῆς ἐμῆς μητρὸς πάρα; (Vs. 86 sqq.).

Oresti ut reditum in patriam, Aegistho vero Clytaemnestraeque Deorum iram iustitiamque ultricem ut deprecetur, suadent. Tum Electra, invocatis paternis Manibus:

ἐλθεῖν Ὀρέστην δεῦρο σὺν τύχῃ τινὶ
 κατεύχομαι σοι, καὶ σὺ κλυδί μου, πάτερ' (vs. 138, 139)
 et mox

ἡμῖν μὲν εὐχὰς τάσδε, τοῖς δ' ἐναντίοις
 λέγω φανῆναί σου, πάτερ, τιμᾶρον,
 καὶ τοὺς κτανόντας ἀντικατθανεῖν δίκην. (Vs. 142—144).

Dum Electra hasce preces effundit et libamina solvit, Chorus hymnum lugubrem canit in quo mortem cari domini deplorat vindicemque domus regiae vehementer desiderat. Quo cantu finito, Electra redit et, conspecto in tumulto cincinno, ex similitudine comarum spem capit, fore ut Orestes

ἔπεμψε χαίτην κουρίμην χάριν πατρί. (Vs. 180).

Hanc sibi spem firmari addit vestigiis pedum terrae impressis, sui pedis formae similibus. Interea, dum spe et metu insana sollicitetur, prodeunt e recessu Orestes et Pylades; quorum ille se fratrem esse Electrae declarat, quod, ut sorori adhuc dubitanti sibi que dolos strui putanti probet, ostendit *καυράν* et *ἔφασμα*

σῆς ἔργου χερός. (Vs. 231).

His testimoniis victa, laeta fratrem agnoscit salutaque; Orestes sibi Iovis auxilium implorat ut domum Agamemnonis erigere et fulcire possit. Chorus vero iis admonet ut depressa potius voce loquantur, sibi que caveant ne quis rem ad dominos referat; ad quae Orestes:

*οὔτοι προδώσει Δαξίου μεγασθένης
χρησμός.* (Vs. 269.)

Iram minasque Apollinis refert, si iussa non faciat, Furiasque ultrices sibi instantes iam videre visus est; postremo et luctus ob Agamemnonis mortem et tristis conditio, qua Argivorum populum, Troiae nobilissimos eversores, talium dominorum imperio subiectos, videat, se ad ultionem paternae necis incitant. (269—305.)

Sequitur iam pulcherrimum illud carmen antistrophicum (vs. 306—513), quo Orestes et Electra ¹⁾

¹⁾ Vs. 380—384 recte Oresti tribuit Dindorfius cum Bothio. Vs. 439—443 Choro tribuit Odofr. Muellerus (vulgo *Electrae*).

Vs. 466—470 Electrae, vs. 471—475 Oresti tribuit Dindorfius, auctore Paleio.

Vs. 503—510 vide Dindorfium.

alternis vicibus canentes, dum Chorus eos invicem excipit, miserandum patris fatum deplorant, ad ultionem sese excitant, atque patris Deorumque auxilia precantur. Quorum nimium dolorem animique remissionem sapienter monitis Chorus temperat et moderatur, felicisque exitus spe proposita, eos erigit et eorum precibus suas preces subiungit.

Tandem Orestes Chorum causam rogat, quare Clytaemnestra hasce inferias miserit:

*οὐκ ἔχειμ' ἂν εἰκάσαι τάδε
τὰ δῶρα, μείω δ' ἔστι τῆς ἀμαρτίας.
τὰ πάντα γὰρ τις ἐκχέας ἀνδ' αἵματος
ἔνος, μάτην ὁ μόχθος. (Vs. 518—521.)*

Chorus somnio Clytaemnestram exterritam haec libamina misisse refert: reginam scilicet sibi visam esse draconem parere, qui uberibus admotus una cum lacte grumum sanguinis educeret (527—533).

Portento autem isto perterritam eam has inferias ad sepulchrum Agamemnonis mitti iussisse. Quibus auditis Orestes se hunc draconem fore significat et quod sibi consilium in animo constituerit, Choro indicat. Peregrini enim habitu assumpto viatoris sarcinis oneratum se una cum Pylade tanquam hospitem aedes regias aditurum esse et linguae Phociae sonum imitaturum: atque simulac ianuae limen superaverit, se Aegisthum interfectorum esse. Postremo Electram Chorumque adhortatur ut pro re nata vel sileant vel loquantur ceteraque Apollinis curae committit (533—584).

Iam, Oreste et Pylade ad rem parandam profectis et Electra aedes regias ingressa, Chorus hominum audaciam cantico celebrat et vim amoris canit, qui

omnia superet et ad quaecunque facinora viam sternat. Quod firmat exemplo Altheae, Thestii filiae, quae ob fratrum necem filio suo Meleagro causa mortis exstitisset. Deinde Scyllae etiam facinus memorat, quae, Minois amore capta eiusque donis corrupta, patri suo Niso capillum illum abstulisset, a quo ipsius vita penderet. Inde Clytaemnestrae amoris eiusque in Agamemnonem sceleris mentionem facit, quod cum Lemniarum facinore ¹⁾ comparat. Orestem denique ultorem paternae caedis domum reducturam esse Iustitiam sibi persuasum habet (585—651).

Redit in scenam, viatoris habitu assumpto, Orestes una cum Pylade et ad regias aedes accedit foresque pulsat. Famulum deinde sciscitantem unde veniat, dominis nuntiare iubet, adesse hominem, qui nova allaturus, cum ipsis colloqui velit. Mox prodit Clytaemnestra, cui roganti, quid cupiant, respondet Orestes simulans se esse hospitem Dauliensem e Phocide atque, cum Argos tenderet, in itinere obvium esse factum Strophio cuidam Phocensi. Hunc ipsi ut Argos Orestis mortem parentibus nuntiaret mandasse. Quare, ut recte hoc officio fungatur, ipse rem cum iis, quorum interest, communicare statuit. Tum regina simulatis lamentationibus calamitates suas luget; hospitem tamen, quamvis tristem nuntium afferentem, excipere cum deceat, domum intrare eum cum sociis iubet seque regem in consilium adhibituram esse declarans abit.

Iam scena deserta Chorus, dum pro Orestis salute

¹⁾ Vide *Herod.* VI, 138.

preces effundit, Cilissam, Orestis nutricem, ex aedibus prorumpentem videns, quo tendat, eam rogat. Ad quem nutrix :

Αἴγισθον ἢ κρατοῦσα τοῖς ξένοις καλεῖν
ἔπως τάχιστ' ἄνωγεν, ὡς σαφέστερον
ἄνῃρ ἀπ' ἀνδρῶν τὴν νεάγγελτον φάτιν
ἐλθῶν πύξῃται τήνδε. (Vs. 734 sqq).

Chorus autem, Orestis moniti (581 sqq.) memor, postquam ex nutrice audivit Clytaemnestram iussisse Aegisthum cum armatis venire, eam monet ne hanc mandati partem exsequatur, quod quo magis vetulae persuadeat subobscure Orestem non periisse significat; quibus monitis Cilissa obsecutura abit (734—782).

Iam magis magisque imminente periculo Chorus cantico solemnī Deorum auxilium implorat. Primum autem precatur ut Iupiter ἀνδρῶν φίλου πᾶλλον adiuvat dum patris necem ulciscatur, calamitatibusque eius finem imponat; tum Deos Penates obtestatur

γέρον φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι. (Vs. 805).

Deinde Mercurium Apollinemque obsecrat, ut Orestes victor imperium paternum restituat multisque sacrificiis se diem illum laetum celebraturum promittit. Postremo Orestem adhortatur, ut forti et constanti animo ab patris interfectoribus iustas poenas sumat (783—837).

Prodit in scenam Aegisthus, qui, incertus, obieritne Orestes necne et simul metuens, ne eiusmodi rumores civium suspicionem odiumque moveant, Chorum ea de re interrogat, a quo admonetur ut rem ab ipsis hospitibus audiat; cui consilio obsecuturus discedit rex.

Iam in summo rerum discrimine Chorus anxio et

perturbato animo iterum Iovis auxilium implorat; nunc enim in eo esse, vel ut domus Agamemnonis penitus intereat, vel ut civitas libertatem recuperet et Orestes patris opes legitimumque imperium recipiat (855—868).

Subito auditur vox Aegisthi intra aedes percussi et Chorus, ut ab huius facinoris culpa immunis esse videatur, paullulum recedit; mox famulus ex aedibus prorumpit et ad gynaeconitidem festinat, ut reginam de perpetrato scelere certiolem faciat. Prodit Clytaemnestra et, qua erat audacia, nec animum demittit, audito tanto facinore, nec quamvis mortem ob oculos habens, salutem suam desperat. Securim poscit ut aut vincat aut vincatur:

εἰδῶμεν εἰ νικῶμεν ἢ νικώμεθα (Vs. 890).

Sed ex aedibus prosilientis filii vultu territa ab hoc consilio desistit et precibus Orestem delenire conatur.

Or. *σὲ καὶ ματεῖω· τῆδε δ' ἀρκούντως ἔχει*

Cl. *οἱ ἴω· τέθνηκας, φίλτατ' Αἰγίσθου βία.*

Or. *φιλῆς τὸν ἄνδρα; τοιγὰρ ἐν ταύτῃ τάφῳ
κείσαι. Θανόντα δ' οὔτι μὴ προδῶς ποτέ.*

Cl. *ἔπισχεας, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἰδέσθαι, τέκνον,
μαστόν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων, ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εἰτραφεὲς γάλα.*

Frustra tamen: post vehementissimam enim altercationem a Pylade divinatorum oraculorum admonitus, matrem Orestes intro ad necem rapit. (Vs. 930).

Metus et miserationis pleni sunt pulcherrimi illi versus (908—930); precibus matris facinora in patrem et in se ipsum commissa, matris execrationi et minis patris diras obicit filius; videtur ipsa patris memoria quasi praesens Orestem ad poenas ab impia muliere repetendas incitare.

Iam Clytaemnestra et Oreste cum Pylade profectis, Chorus iterum in scenam prodit et Agamemnonis ultionem celebrat Iovisque filiam Iustitiam Oresti in duplici caede perpetranda adfuisse declarat. Ultimo denique loco significat domum Agamemnonis iam satis diu cladibus afflictam iacuisse, et tandem illuxisse diem, quo tot malis liberari debeat (vs. 935—972).

Iam aedium fores panduntur et in lecto Clytaemnestrae Aegisthique cadavera conspiciuntur. Pylades et Orestes, famulorum caterva cum στεγάστρω ἀνδρός (vs. 984) stipati, procedunt. Orationem habet Orestes, in qua acerbe eorum scelera et iustam necem exagitat, seque iure matrem occidisse, Soli omnia videnti populoque Argivo testatur. Pallium deinde vel indusium illud in medium profertur, quo tamquam rete captus Agamemnon necatus fuerat. Significat porro se Apollinis iussis ad hoc facinus excitatum fuisse seque ramo et corona instructum, vagum et exsulem Dei templum petiturum (vs. 1030 sqq. et 1035 sqq.) Furiis deinde maternis agitari incipit:

ποῖαι γυναῖκες αἶδε Γοργόνων δίκην

φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημένοι

πικνοῖς δράκουσιν; οἰκέτ' ἂν μείναιμ' ἐγὼ (vs. 1048 sqq.)

et vs. 1054,

σαφῶς γὰρ αἶδε μητρὸς ἔγκοτοι κόρες,

et profugus Delphos petit.

Chorus denique Orestem Apollinis curac committit et varias aedium regiarum calamitates recenset, dubitatque utrum Orestem earum liberatorem, an vero novi sceleris auctorem dicere debeat, neque malorum finem invenit:

ποὶ δῆτα κραυγῇ, καὶ καταλήξει

μετακλιμισθὲν μένος ἄτης; (Vs. 1075, 1076).

Haec de *Choephoris*, quae si sane uberius copiosiusque persequi potuerimus, ratio tamen huius libelli prohibebat, utpote supplendi singulaque aestimandi occasio et locus alibi nobis defutura non sit.

Iam duabis hisce trilogiae partibus ad finem peractis, facile patet fieri non posse, quin (siquidem aptus exitus animis spectatorum satisfacere debeat, eorumque affectus omnino mitigentur et quasi statui placido reddantur) tertiam fabulam poeta adderet. Et qua ratione Agamemnonem poeta composuit (ita enim ut indiciis quibusdam fabulam nostram cum illa coniunctam esse videamus necesse sit) sic eadem usus est ratione poeta hac in fabula. Orestes enim (vs. 1035):

ἔν τῷδε θαλλῷ καὶ στέφει προσίξομαι

μεστέμφαλον ὄϊδρουμα, Λοξίου πέδον,

πυρὸς τε φέγγος ἄφθιτον κεκλημμένον, κ. τ. λ.

postquam facinore perpetrato a Furiis agitari coepit, significat se Delphos profugere velle. Mox, Chorus eius animum confirmat hisce verbis:

εἰς σοι καθαρμός· Λοξίως δὲ προσθιγῶν

ἐλεύθερόν σε τῶνδε πημάτων κτίσει. (Vs. 1059 sqq.)

Iam ille καθαρμός nobis in *Eumenidibus* adest. Videbimus in illa fabula Orestem ope Apollinis inprimisque Minervae omni culpa poenaeque vacantem. Qui καθαρμός simul omnium per totam trilogiam natorum animi affectuum quasi τραγικὴ κάθαρσις esse videtur.

Sed ad ipsas *Eumenides* veniamus.

In hac fabula scenae locus primum Delphis,

deinde Athenis est. Adsunt porro deorum numina, quae causam agant sententiamque ferant, quippe:

*τὸ πρᾶγμα μείζον ἢ τις οἰεῖται τίδε
βροτῶς διακάζειν. (Vs. 470.)*

Prologum agit Pythia, invocans deos, quorum numina has sacras sedes incolarint, inprimisque Apollinis merita in Phocidem celebrat, quippe qui arte sua futura consulentibus detegat. Quo officio rite defuncta templum subit, ut munus suum obeat (vs. 1—33). Mox vero in scenam redit horrendi spectaculi conspectu perterrita; intus enim adspexit hominem recenti caede maculatum, suppliciter in sede sacra sedentem; et prope adstantes mulieres

*ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν
αἴται, μέλαινα δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι
ρέγκουσι δ' οὐ πλατῶσι φυσιάμασιν
ἐκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφίλῃ λίβᾳ.*

Terrore percussus abit (vs. 33—63); iam prodit Apollo, qui promissis et monitis Orestem confirmat eique suadet, inter somnium Furiarum, Mercurio duce, Athenas aufugiat, ubi, causa ad idoneos iudices delata, tam sua quam Minervae opera, faustum iudicii exitum sperare possit. Mox, Oreste et Apolline profectis, Clytaemnestrae εἴδωλον in scena conspicitur, quod Furias excitat, ut fugientem Orestem persequantur; tandem somno solutae celeriter surgunt et carmen antistrophicum canere incipiunt, in quo queritur, quod Apollo Oresti in aufugiendo auxiliatus sit,

*παρὰ νόμον θεῶν βρότεια μὲν τίων,
παλαιγενεῖς δὲ μοίρα φθίσας. (Vs. 171, 172.)*

Redit Apollo et minis conviciisque acriter in

Furias invehitur, et ex templo excedere eas iubet; cui minitanti crimini dant, quod ipse non solum auctor suasorque horrendi crimini fuerit sed etiam matricidae patrocinator sit; negant omnino Orestem se missuras esse, ante quam materni sanguinis poenas lucri. Discedunt Chorus et Apollo. (vs. 234.)

Iam mutatur scena et Orestes Athenis in templo Minervae conspicitur deae simulacrum amplexu tenens eiusque auxilium implorans. Dum preces effundit, venit cohors Furiarum quae, chorego duce, vestigia matricidae reperisse gaudent, inventum obsident et execrabili carmine exposcunt (vs. 244—275). Gravissimas ei poenas minitantur; vivum eum in Orcum deiciunt. Ibi, apud inferos, aspiciat cruciatus eorum, qui sive in deum sive in hospitem, sive in parentes facinora commiserint. Pluto enim

ἔστιν εὐθύνος βροτῶν

ἔνεργε χρεῦός, δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπῆ φρενί. (Vs. 275).

Ad hasce minas obsecrationesque nihil respondens, Orestes denuo precibus se convertit ad Minervam; Apollinis enim opera se ab omni contaminatione vacare, cum multis se vixisse, qui detrimentum ab se nunquam ceperint, quare iam

ἀφ' ἀγνοῦ στόματος εὐφήμως (vs. 287)

deae auxilium implorat. Suum et omnium Argivorum amorem supplicantium patronae pollicetur fidelem et sempiternum. Adveniat igitur (adiuvant enim quamvis absentes dii) ut hisce miseriis se liberet.

Sed Furiae indignatae negant Orestem vel Minervae opera servari posse, et gaudent quod ob impium scelus ipsis consecratus sit. Iam ἕμνον δέσμιον canere instituunt; sui enim muneris esse, ut, iustitiae leges

tuentes, pie sancteque viventibus parcant, eos vero, qui caede se polluerint, assidua vindicta persequantur (299—320.)

Ideo se matrem Noctem nunc obtestari, quod Apollo, sceleratum iusto supplicio eripiens, ipsarum potestatem infringere conetur. Hoc enim munus *Μοῖρα* sibi dedisse, ut impios ad mortem usque insectentur seque superum honoribus destitutas et ab eorum societate remotas semper id agere, ut domos evertent, neque se ullo scelerato, ne fortissimo quidem, parcere. Quare hoc munus suum habeant, cum praesertim summus Iupiter hac se contumelia affecerit, ut tanquam impuras a coelestium societate se arceret. Terram igitur pervagantes impios se insectari et gravem iis perniciem struere: quemcumque enim adeant, ei honorem et famam perire et domum caligine offusam gemitu impleri. Quis igitur mortaliū ipsarum numen nullis flectendum precibus non revereatur? Quis honores deneget iis, quarum munus divinitus sancitum sit, etiamsi obscuras et invisas sedes inhabitent. (Vs. 320—396).

Interim progressa in scenam Minerva Furiarum atque Orestis praesentiam demirata, utrosque qui et quales sint exponere iubet (397—414). Narrant Furiae genus suum et munus, causasque quare hunc supplicem persequantur significant; iussis enim divinis obtemperantem hunc patricidii auctorem esse neque iureiurando illum rem decernere velle: quam ob rem se criminis iudicium Minervae committere. (Vs. 435).

Tum iubente Minerva Orestes facinoris sui rationem deae explicat: scelere expiato se haud suppli-

cem aram adiiisse (vs. 445), quare huius rei curam dea mittat; Agamemnone, quem in balneo scelerata uxor iugularit, ortum se iussu Apollinis ob hoc facinus poenas a matre sumpsisse; ceterum iudicium sceleris deae se mandare:

σὺ τ' εἰ δικαίως εἶτε μὴ κρῖνον δίκην
 πράξεις γὰρ ἐν σοὶ πενταχῆ τὰδ' αἰνέσω. (Vs. 468).

Ad haec Minerva respondens, brevibus ostendit huius rei molestae atque dubiae iudicium neque ad mortalium quemquam neque ad se pertinere, cum praesertim ipse καθαρός ἀβλαβής (vs. 474) aedes suas intrarit; Furiarum vero irae placandae causa litem iuratis iudicibus tradere se statuisse, quibus in posterum rerum capitalium discrimen mandet; postremo monitis litigantibus, ut, priusquam iudices convenierint, quisque sibi testes et praesidia quaerat, abit dea.

Sequitur Chori cantus (vs. 490—565), in quo Furiae augurantur fore ut, si Orestes absolvatur, antiquis legibus sublatis novisque introductis, mala ex malis oriantur. Ipsarum enim potentia eversa quis modus aut finis scelerum? Quí mortales poenae metu sublato, iustitiam colere vitamque iustam degere possint? Vitam igitur legibus temperatam commendant, licentiam vero aequae ac tyrannidem aversandum esse demonstrant. Quare colant mortales iustitiam, colant parentes et hospites, si vitam vivere beatam neque unquam prorsus infelices esse velint. Inpium vero tandem aliquando, miseriis obrutum, deorum ultione eo adactum iri, ut

ἄκλυτος, ἄστος

intereat, declarant.

Iam iterum mutata scena conspicitur Areopagus;

prodit Minerva cum selectis iudicibus; adsunt urna et ara, prope quam stat Orestes. Iubet dea per praeconem populum silere. Dum praeconis vox auditur, subito venit Apollo, qui, quid ea causa ad ipsum pertineat a Furiis rogatus, se et tanquam reum et tanquam testem venire respondet. Iam Chorus Orestem de caedis veritate, ratione, auctore et causa interrogat (vs. 585—613); deinde Apollini, qui Orestis ad angustias adducti partes tuetur, variis argumentis et quaestionibus adversatur; tandem, ultionis memores neque Apollinis oratione victae Orestem in patria Argivorum sede vitam degere posse vehementer denegant. Tum Minerva, postquam supplicem Apollo deae commendavit, mortemque Agamemnonis graviorem quam Clytaemnestrae fuisse docuit¹⁾, rem satis exploratam esse putans, iudices suffragia ferre iubet et sancto huic Arcopagitarum consilio se rerum capitalium iudicium in omne tempus committere declarat. (— Vs. 710.)

Sortes in urnam coniciuntur, dum Apollo et Furiae iudicium animos, hae minis, ille Iovis auctoritate, sollicitare pergunt; iam inversa urna et suffragiorum numeratione inita, calculo adiecto Orestem omni culpa absolutum declarat dea.

*ἀνὴρ ὃδ' ἐκπέφηνεν αἵματος δίκην
ἴσον γὰρ ἔστι τὰρίθμημα τῶν πάλων.*

Laetus diis fautoribus gratias agit Orestes et

¹⁾ Miro sane hoc argumento: patrem scilicet proprie filii parentem esse, quod ex ipsius Minervae ortu demonstrat. (Vs. 657—666). Quos versus parum Aeschylō dignos putat Dindorfius. Cf. etiam. K. O. Mueller, *Gesch. der Gr. Literatur*, II, pag. 105.

sempiternam amicitiam Atticae incolis iurans eosque salutans, domum proficiscitur. (Vs. 777) ¹⁾.

Iam omnium per totam trilogiam ex Orestis ultione natorum animi affectuum *κάθαρσις* adest. Quoniam vero placandarum Furiarum rationem argumentum huius fabulae esse iam ex solo Eumenidum nomine patcat, hic finem actioni imponere non potuit poeta.

Igitur, Oreste profecto, Furiae, potentiam sibi ablatam conquerentes, ab Atheniensium terra iniuriae ignominiaeque sibi allatae poenas expetere constituunt; illarum iram indignationemque lenire et placare conatur Minerva monitis et promissis, fore ut templum et sacra sollemnia ab Atticis accipiant et in omne tempus omni honore ornatae colantur et venerentur. Frustra: ingeminant clamores flebiles. Renovat augetque promissa Minerva:

οὔτοι καμῶμαι σοι λέγουσα τὰ γαῖθά.

et mox:

ἔξεστι γάρ σοι τῆσδε γαμέρῳ χροῦός

εἶναι δικαίως ἐς τὸ πᾶν τιμωμένη. (Vs. 890 sq.).

Tandem aures adhibent Furiae et fore ut ira abstineant et terrae incolisque parcant promittunt. Itaque, votis pro salute civium factis, abeunte Minerva ²⁾ in sedes sibi destinatas deducuntur a pompa

¹⁾ Verissime K. O. Mueller, II, pag. 106: Nachdem Orestes freigesprochen, verlässt er die Bühne, schneller als man nach dem groszen Interesse, das sein Schicksal eingeflöszt hat, erwartet. Aber der Grund liegt darin, dasz nun schon Aeschylus ganzes Herz bei den Athenern ist.

²⁾ Post vs. 1027 lacunam indicavit Hermannus, qui recte monet in versibus amissis *Εὐμενίδων* nomen Furiis imposuisse Minervam, quod in extrema parte fabulae factum esse testis est Aristophanes Byzantius in *ὑποθέσει* et Harpocratio s. v. *Εὐμενίδες*. *Dindorfius*.

mulierum, quae, faces manibus tenentes, laetis modis sortem celebrant quam dii urbi paraverint. (Vs. 1047.)

§ 2.

Sophoclis Electra.

Multa sunt, quibus haec fabula ab Aeschyleae fabulae simplicitate recedit. Splendidiore enim scenae apparatu, ¹⁾ pluribus personis, earumque diversis et distinctis magis moribus, nodo maiori arte implicato, pluribusque *ἐπεισοδίοις* vel digressionibus tragoediam suam ornavit Sophocles.

Scenae locus Mycenis est ante regias Pelopidarum aedes; sepulcrum vero non, ut apud Aeschylum, in ipsa scena positum est, sed paullo remotius illud ab aedibus esse fingitur. Ad laevam spectatorum lucus Ius, Inachi filiae et forum Apollinis conspiciuntur, ad dextram Iunonis templum (vs. 5—10). Ante aedes posita est Apollinis statua (vs. 635, 1376). Actio matutino tempore, sub solis ortum incipit, (vs. 18). Chorus constat ex feminis nobilibus, (vs. 129) et provectae iam aetatis, cf. vs. 234.

Procedit in scenam *παίδων γὰρ* cum Oreste et Pylade. Huic seni olim Electra post mortem Agamemnonis Orestem peregre educandum tradiderat. Vingtanni post eundem iuvenem in patriam reducit ille senex, ut patris necem ulciscatur (vs. 11—14). Ostendit Agamemnonis filio Argivum agrum et singula obvia ei declarat. Monet deinde amicos, ut,

¹⁾ Sophoclem primum *σκηνογραφίαν* instituisse auctor nobis est Arist. A. P. c. IV, 1449, a, 18.

antequam superveniat aliquis, consilium incant, ipsamque rem aggrediantur. Probat Orestes viri fortis ac strenui consilium commemoratque Apollinis oraculum, quod ipsum iusserat

ἄσκειον αὐτὸν ἄσπιδων τε καὶ στρατοῦ

δύλοισι κλέψαι χεῖρας ἐνδίκου σφαγῆς. (Vs. 36, 37).

Quod ut exsequatur, senem iubet aedes ingredi ut rerum statum noscat; simulet se hospitem esse Phocensem, a viro quodam, nomine Phanoteo, ¹⁾ missum: hunc enim *μέγιστον δορύξενον* esse aedium dominis; deinde, dato iureiurando, nuntiare cum iubet in Pythicis ludis Orestem curru delapsam obiisse. Se ipsum interea, dum senex quid in aedibus agatur prudenter resciscat, una cum Pylade patris tumulum libationibus et comis suis honoraturum et deinde urnam aeneam manibus ferentem reversurum dicit, ut inde senis narrationi maiorem fidem habeant. Quid enim hoc, quod verbis mortuus, re vera vivus sit? Scilicet:

οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν, (vs. 61).

Tum salutans patriam terram, et deos indigetes precatur ut domum paternam repetendis scelerum poenis expiari sibi liceat fiatque *καταστάτης δόμων.*

Subito auditur in aedibus vox Electrae lugentis sortem suam; monitis vero senis obtemperans (etsi sororis esse suspicatur) properat Orestes propositum suum exsequi et cum Pylade ad patris tumulum se confert. Iam prodit Electra et pulchro cantico lugubri (vs. 86—120) patris eladem propriasque calamitates deplorat. Socium doloris fletusque ut ha-

¹⁾ De Phanoteo, cf. quae infra cap. III, § 1 disputavimus.

bent nullum, tamen nunquam desinet lugere dum lucem videt. Deos inferos, Proscrpnam et Mercurium, et Furias invocat, ut patris caedem ulciscantur carunq̄ue fratrem sibi mittant; sola enim mœroris onus amplius ferre non valet. Accedit Chorus feminarum nobilium, quae desperantis animum abiectum erigere conantur; paucis autem summam huius colloquii tangere lubet.

Chorus. Quare tandem semper patris caedem lugens te maceras? Pereat qui ista patrauerit, siquidem haec optare mihi fas est. (Vs. 121—127).

Electra. Venitis quidem nimio dolori indulgentem sedaturae; at sinite me, obsecro, desperatas spes meas sic deplorare. (— Vs. 136.).

Ch. Attamen nec lamentis nec precibus patrem ex Orcœ excitabis, immo miserias tuas augere videris. (— Vs. 144).

El. Sanae mentis non est qui parentum miserabili morte extinctorum obliviscitur. Placet luscinia, Iovis nuntia, quae Ityn, semper Ityn luget, placet divina Niobe, quae fixa cacumine montis semper lacrimas fundit. (— Vs. 152.)

Ch. Atqui, o filia, non sola es malis obruta; misere quoque vitam degunt sorores tuae et frater tuus Orestes, quem felicem utinam domum reducat Iupiter! (— Vs. 163.)

El. Frustra Orestem exspecto; obliviscitur mei beneficii, mandatorumque meorum; cupit quidem, cupiens vero non venit. (— Vs. 172.)

Ch. Bono sis animo, filia mea; regnat adhuc summus Iupiter, qui inspicit omnia et gubernat; memor tui Orestes, memor Orcus. (— Vs. 184.)

El. Sed vitae tempus labitur atque tanquam inquilina nullius pretii vitam dego in patris aedibus, sic quidem sordida amicta veste! (— Vs. 192).

Ch. In memoriam mihi revocas diem illum tristem, quo vox patris securi trucidati audiebatur: horrendum id scelus, sive deus sive mortalium quis erat, qui illud patraverit. (— Vs. 200.)

El. O omnium longe acerbissima dies! O nox, o coenae nefandae! Meam quoque vitam eripuerunt isti nefarii! Quos utinam Iupiter male perdat! (— Vs. 212.)

Ch. Compesce iram! Noli mala malis augere. Cum potentioribus iurgio contendere haud expedire cogita. (— Vs. 220.)

El. At compulit me eo malorum atrocitas. Quid agam? Vanum tuum solatium, vana spes. Quare sinite me lugere et lacrimare. (— Vs. 232.)

Ch. Atqui benevolentia mota te obsecro: filia mea, utinam ne mala malis cumules. (Vs. 233—235).

El. Quis modus? quis finis nequitiae? Num honestum est mortuorum curam negligere? Eheu, peribit Pudor, peribit Pietas, nisi caedem caede luant nefarii! (— Vs. 250.)

Ch. Tua meaque simul ipsius gratia huc veni: si quid minus recte suadeo, tu vince; tibi enim obsequemur. (Vs. 251—253.)

His verbis cedit Chorus Electrae indignationi iraque; vana enim solatia, vana consilia. At iam animum flectit Electra excusatque suam acerbiter nimumque dolorem ¹⁾. Augeri enim in dies mala

¹⁾ Multa in hac oratione pluribus verbis exsequitur repetitque Electra quae iam praeunte cantu lugubri (dico κομμῶν)

sua; matri invisam se cum hominibus nefariis vivere debere, qui impune alienas res dilapident; ipso die, quo olim pater interfectus esset, scelestam matrem choros celebrare; tacitam secum (quippe quod palam vetaret mater) lugere se hasce miserias. Audito de Orestis reditu nuntio reginam vehementer invehi in se, quippe quae puerum matris manibus eripuisset. Frustra se semper Orestis adventum exspectare; quare:

*ἐν οὖν τοιούτοις οὔτε σωφρονεῖν, φίλαι,
οὔτ' εὐσεβεῖν πάρεστιν.* (Vs. 307 sq.)

Iam Chorus de Aegisthi absentia ab Electra certior factus de Oresti fati sciscitatur. Sperat sanc soror, fore ut frater aliquando redeat, sed nihil certi animam suam abiectam erigere potest. Plura rogare in animo habens impeditur Chorus Chrysothemidis adventu, quae inferias gestans ex acdibus procedit. Haec, maiore prudentia et moderatione dolorem suam comprimens, sororem precatur ne luctui nimis indulgeat nec vanis lamentationibus dominorum, quibus parere dura necessitas iubet, iram et odium magis etiam excitet et augeat. Adhortatur Electram ut malis, quae evitari non possint, se submittat et ad ipsius potius sententiam accedat:

ἐν κηκοῖς μοι πλεῖν ὑφειμένῃ δοκεῖ (Vs 335).

Quibus consiliis indignata Electra sorori non tantum timiditatem exprobrat sed etiam de eius erga patrem

cecinit. Solebant enim Tragici τοῦ κομμοῦ partes quasdam in sequente oratione paullo accuratius exponere; cf. vs. 121—250 et vs. 254—309; Ajax, vs. 201—262 et 284—330, 348—429 et 430—480; Antigone vs. 806—882 et 891—928; Aesch. Agamemn. vs. 1072—1178 et 1179—1255, ubi vid. Schneidewin, Einl. p. 45 sqq.

pietate dubitare videtur. Refert Chrysothemis se haec tantum monuisse, ut novum malum impendens ab illa arceret. Aegisthum enim et Clytaemnestram decrevisse, eam, nisi querelis finem imponat, in carcerem tenebricosum detrudere. Quare mutet animum priusquam Aegisthus redierit. Tum Electra:

ἀλλ' ἐξίκοιτο τοῦδ' ἔγ' οὐκ' ἐν τάχει, vs. 387

et mox *ἔπως ἂν ἡμῶν ὡς προσωτάτω φύγω, vs. 391.*

Chrysothemis deinde abituram rogat, quid sibi velint istae libationes. Narrat Chrysothemis reginam somnio perterritam has inferias Agamemnoni mittere; sceptrum enim, quod olim gestare solebat, ipsi in terram defixum visum esse, et ex eo ramum succrevisse, quo obumbrata tota fuerit Mycenarum terra (vs. 417—423) ¹⁾. Quibus auditis obtestatur sororem Electra, ne ista matris mandata exsequatur; neque enim haec dona ab impia coniuge missa patri grata futura. Comas suas potius praecidat, quas cum ipsius crinibus et cingulo patri offerat; deinde precetur ut ex inferis opem sibi mittat filiumque Orestem necis ultorem reducat (431—463). Quo dicto audiens Chrysothemis ad patris tumultum se confert.

Sequitur iam Chori cantus (vs. 472—515), quo Iustitiae divinae poenas sceleris horrendi expetiturae adventus significatur. Clytaemnestrae enim somnio spem se cepisse (siquidem ulla sit fides habenda divinationis) fore ut Furiae et Iustitia iustam victoriam iustamque ultionem daturae sint. Pelopis denique facinus Myrtilique casus memorantur, unde omnes Pelopidarum sint ortae calamitates.

¹⁾ De hoc somnio vide cap. III, § 4.

Ecce venit ex aedibus ipsa Clytaemnestra cum famula fruges (vs. 634) ferente Apollini offerendas et ira percita in Electram vehementer invehitur, quod, absente Aegistho, foras prodiens palam de matris nequitia et iniuria in se queratur. Inde facinus a se perpetratum defendit: se enim iure Agamemnonem ope Iustitiae sustulisse, quippe qui in Aulide Iphigeniam immolasset ut Graecis et Menclao gratum faceret, oblitus infelicis matris paternique amoris. Quocirca se sane eorum, quae fecerit, haud poenitere (Vs. 516—551).

Venia accepta ut libere dicat quid sentiat, Electra primum Iphigeniae caedis Dianam auctorem fuisse ostendit: patrem enim olim, in Dianae luco cervum cum fixisset, superbo quodam verbo usum esse, quo irata dea Argivorum regem iusserit suam ipsius mactare filiam. Hoc igitur modo illam esse immolatam: non enim alio pacto expediri potuisse exercitum vel domum vel ad Troiam. Deinde vero neque vel hanc fuisse Agamemnonis caedis causam significat, nisi forte Clytaemnestra, ut filiam ulcisceretur, cum adultero, sceleris socio, consuescens liberos procreaverit, dum legitimos Agamemnonis liberos eiiciat iisque dominam magis quam matrem se praebat! Quare fratrem suum, peregre vitam terentem miseram, si ultorem educare posset, sane se hoc facturum esse, regina sibi persuasum habeat. Iam vero quod ipsa improba, maledica, impudens a matre habeatur, minime se hoc curare. Quibus enim vitiis si sit obnoxia, haud multum ab indole matris degenerem se, neque matri dedecori esse! (Vs. 558—609.)

Hisce dictis commota regina iracundiae indulget

atque conviciis probrisque filiam persequitur et audaciae poenas, simul ac Aegisthus redierit, infelici virgini solvendas minatur. Vota deinde Apollini fundit discutiendis terroribus, quibus agitatur. Tecte et obscure, quum aperte loqui propter Electram vereatur, precatur ut felicem deus tribuat eventum somnio horrendo, ut incolumem semper vitam colat Atridarumque domum regat et amicorum consuetudine liberorumque prospera semper fortuna fruatur. (— Vs. 659).

Accedit iam ex composito ille senex nuntium de Orestis morte allaturus et tamquam peregrinus locorumque ignarus ubinam sit regia Aegisthi domus exquirat. Postquam audivit has ipsas esse regis aedes seque reginam videre longiore oratione Orestem occidisse nuntiat. Cursuum certamine illum victorem egressum, cum postero die equestri certamine cum decem aemulis palmae honorem peteret, imprudenter in metam extimam impinxisse fractoque rotae modio, e curru prolapsam lorisque implicatam per solum raptam esse, donec ipsum aurigae, vix tandem cohibito equorum cursu, cruore foedatum solverint; deinde corpore cremato, parva in urna cinerem huc attulisse Phocensium delectos viros, ut patria in terra tumuletur. (Vs. 680—773). Quibus auditis vix regina, simulato dolore, laetitiam suam continere potest Electramque lacrimantem increpat atque senem, ut digne eum excipiat, in aedes abducit. (— Vs. 803.)

Iam Electra amissa ultima, quam fovebat, spe, scilicet fore ut aliquando Orestes patris ultor rediret et abhorrens ab eorum adspectu, cum quibus habitare

cogatur, miseriis obruta neque habens quo se convertat, animum despondet vitamque parum curans, ante aedium fores prostrata, luctu tabescere constituit. Frustra Chorus miseram Amphiarai exemplo consolari conatur; Oreste mortuo, omnem prorsus salutis spem sibi evanuisse quis neget? Ecce redit Chrysothemis (vs. 871) a patris tumulo lactissimum nuntium afferens:

*πάρεστ' Ὀρέστης ἡμῖν, ἴσθι τοῦτ' ἐμοῦ
κλύουσ', ἐνχρῶς, ὥσπερ εἰσορᾷς ἐμέ.*

At illudit credulitati sororis Electra et misericordia insanae mota eloqui eam iubet quid ipsa viderit. Narrat Chrysothemis sepulcrum patris floribus ornatum esse, lactisque libationes in eo fusas summoque in busto recens desectas comas se vidisse; quae munera praeter Orestem quisnam obtulerit? Neque enim sibi hoc convenire neque Electrae cui domo exire impune non liceat! Neque matri talia facere in mentem venire posset, nec, si fecisset, hoc ipsas fugeret:

ἀλλ' ἔστ' Ὀρέστου τῶτα τάπιτύμβια. (Vs. 915.)

Sorori vero respondet Electra:

*φεῦ, τῆς ἀνείκας ὡς σ' ἐποικτεῖρω πάλιν.
οἶκ' οἶσθ' ἔποι στήθε οἶδ' ἔποι γνώμης φορῆ;*

eamque deinde certiolem facit Orestem illum, quem rediisse arbitratur, vita defunctum esse adeoque speratam sibi salutem periisse. Adhortatur sororem, ut, omni metu deposito, ipsae rem aggrediantur et iustas ab patris interfectoribus poenas sumant. Miserram vitae conditionem ei proponit, prospera vero, si consilio obtemperet, fortuna se esse usuram confirmat.

At timidæ virginis indoles a tali consilio nimis abhorret, quam ob rem vehementer sororem ab audaci proposito deterrere conatur:

... ἀντιάζω, πρὶν πανωλέθρουε τὸ πᾶν
 ἡμᾶς τ' ἐλέσθαι κἀξερημῶσαι γένος,
 κατάσχεε ἐργήν. (Vs. 1009 sqq.)

Frustra: precibus sororis Chorique monitis immota Electra neque consilium mutat, sed propriis viribus tantum periculum subire constituit. Tandem post levem ac vanam inter sorores altercationem discedit Chrysothemis. (— Vs. 1057).

Iam Chorus cantico Electrae pietatem laudibus effert eiusque fatum infelix miseratus victoriam gloriamque in omne aevum ei exoptat. (— Vs. 1098).

Ecce, cantu vix finito, procedit Orestes cum Pylade famulisque urnam ferentibus et se Phocensem esse Orestisque reliquias afferre simulat. Audito Orestis nomine fraternæque mortis testimonio commota urnam petit Electra ut sibi liceat lacrimis saltem cari fratris honorare cineres propriamque lugere miseram sortem. Sequitur iam pulcherrima illa Electrae lugubris oratio (vs. 1126—1170) vi vere tragica non magis quam naturæ veritate insignis. Iam Orestes sororis lamentationibus commotus nec sui amplius compos, prudentiæ oblitus, miserationi indulget seque Orestem esse profitetur et incredulae etiamnum sorori patris sigillum ostendit. Quo viso laetitia effertur Electra carumque fratrem amplectens:

ὦ φίλτατον φῶς.

Or. φίλτατον, ξυμμεκτιρῶ.

El. ὦ φθέρῃ, ἀφικοῦ;

Or. μηκέτ' ἄλλοθεν πόθῃ.

El. ἔχω σε χειροῖν;

Or. ὡς τὰ λοιπὰ ἔχουσι αἰεῖ.

El. ὦ φίλταται γυναικες, ὦ πολίτιδες,
 ὄρατ' Ὀρέστην τόνδε, μηχανάσι μὲν
 θανόντα, νῦν δὲ μηχανᾶσι σεσησμένον. (Vs. 1224 sqq.)

Sororis laetitiam vix moderatur Orestes, qui prudens ne liberius loquatur Electra propositumque suum prodeat, monet suadetque. Quare missis inutilibus sermonibus potius se doceat, quae sibi apta sint in praesens tempus ut ridentes inimicos opprimat. Nihil vero se habere quod ulterius eum moncat respondet Electra, ipsum enim iam audivisse Aegisthum domo abesse; mox autem aliquem accedentem audiens, mutato sermonis argumento, hospites invitat ut domum ingrediantur. (Vs. 1325).

Procedit ex aedibus senex et incautos reprehendit, quod in summo periculo versantes tempus rei gerendae opportunum terant. A fratre admonita senem agnoscit Electra eumque patrem Agamemnoniaeque stirpis servatorem appellans, non magis in rebus laetis quam in tristibus sibi temperat. Quibus sermonibus finem inponit senex, Orestemque et Pyladem adhortatur ne amplius cunctentur, quum vir nullus sed sola Clytaemnestra sit domi. Quare, postquam Apollinis auxilium inploravit Electra, aedes ingrediuntur.

Sequitur Chori breve canticum (vs. 1384—1397) in quo vindictae diem illuxisse et mox Orestem, ἐνέρωον ἀρωγόν, gladium manibus tenentem paternam domum ingressurum significat.

Iam in scenam redit Electra, ut Aegisthi reditum observet, Choroque nuntiat viros in eo esse ut rem

exsequantur. Mox Clytaemnestrae mortem deprecantis vox auditur, ad cuius caedem fratrem excitat Electra: horrenda illa scena, qua terribilius vix quidquam in tragoediis invenias.

Cl. ὦ τέκνον, τέκνον,
ὄκτειρε τὴν τεκοῦσάν.

El. ἀλλ' οὐκ ἐκ σέθεν
ὄκτειρεθ' οὐτος, οὐδ' ὁ γεννήσας πατήρ.

et mox

Cl. ὦμοι, πέπληγμαί.

El. παῖσον, εἰ σθένεις, διπλήν.

Cl. ὦμοι μάλ' αὔσις.

El. εἰ γὰρ Αἰγίσθω γ' ὄμοῦ.

Redit cum comitibus suis Orestes atque Clytaemnestram cecidisse nuntiat. A Choro autem admonitus Aegisthum adventare, in aedes se recipit, dum Chorus Electrae suadet ut Aegisthum simulata mente ¹⁾ lenibus verbis adloquatur, quo minus periculum suspicetur. (Vs. 1424—1441.)

Advenit iam rure Aegisthus et Electram contumeliose appellat quaeritque ab ea ubinam sint hospites quos audivit nuntium de Orestis morte attulisse. Electra, adversae fortunae se quasi submittens, eos in aedibus esse et huius mortis manifesta signa attulisse significat. Quibus auditis tyrannus fores pandi iubet, ut omnes rem conspiciant et inanem de Orestis reditu spem deponant. ²⁾

¹⁾ Male Schneidewin verba ὡς ἡπίως (vs. 1439) vertit: *recht freundlich*; h. l. ὡς i. e. q. *specie, simulate*, quae significatio magnopere firmatur ipso Electrae cum Aegistho simulato et ambiguo sermone, vs. 1441—1465.

²⁾ Tragicam huius ambigui colloquii ironiam animadvertere licet inprimis vs. 1453—1457, cf. A. Westermayer, *die Electra des Sophokles aesthetisch erläutert*, 1872, pag. 161 et 169 sqq.

Apertis foribus, conspicitur velo tectum cadaver, quod Orestis esse arbitratus Aegisthus, velamen removet, et simul Clytaemnestram agnoscit seque in Orestis insidias incidisse videt. Ignavum tyrannum loqui et mortem subterfugere conantem, ut statim occidat, fratrem adhortatur Electra. Frustra igitur repugnantem in aedes abripit, ut hoc ipso loco mortem oppetant, quo olim Agamemnonem interfecerat.

Finem tragoediae facit Chorus:

ὦ σπέρμ' Ἀτρέως, ὡς πολλὰ παθόν
 δι' ἑλευθερίας μάστιγ' ἐξήλθες,
 τῇ νῦν ἔρμῃ τελευτῆν.

§ 3.

Euripidis Electra.

In hac tragoedia scenae locus non Argis est aut Mycenis, sed in excelso monte prope Argolidis fines. Pauperis sed probi cuiusdam rustici (vs. 253) domus in hoc agresti loco conspicitur. Chorus constat ex mulieribus rusticis (Vs. 298 et 693). Actio nocte sub diluculum incipit (vs. 78, 90, 102) et continuo absolvitur.

Prologum ¹⁾ agit rusticus, in quo omnia, quae ad fabulam intelligendam necessaria sint, spectatoribus declarat. Narrat igitur Agamemnonem Troia reversum Clytaemnestrae dolo Aegisthique manu sublatum fuisse Orestemque puerum a sene paedagogo clam subductum Strophio Phocensi traditum fuisse. Electram autem in aedibus patriis mansisse, multosque procos eius nuptias frustra ambiisse, nec cuiquam

¹⁾ De prologis Euripideis vid. Cap. IV.

illam ab Aegistho desponsam fuisse, quod metueret ne nobili et potenti marito filios pareret, Agamemnonis futuros ultores. Tandem vero Aegisthum, eam, a matre defensam, occidere frustra conatum, constituisse pauperi cuidam rustico eam despondere:

ὧς ἄσθενει δόδε ἄσθενῆ λάβει φόβου. (Vs. 39.)

Se autem esse hunc hominem, pauperem quidem, sed nobili genere ortum, seque Electram domi suae intactam habere, a cuius nuptiis abstinuerit Agamemnonis memoriae reverentia et metu ne Orestes aliquando redux indignarum nuptiarum poenas peteret. (— Vs. 53.)

Procedit Electra squalidis comis, sordidis vestibus induta (vs. 183), vas aquarium in capite ferens. Tamquam rustica mulier labores subire resque domesticas curare haud dedignatur, ut virum, agrestibus operis intentum, quantum possit, subleuet. Pergunt igitur haec ad aquam ex fonte hauriendam, ille ad agros colendos.

Accedit iam cum Pylade nonnullisque famulis (vs. 392 et 793) Orestes et amico consilia sua exponit. Apollinis enim iussu se venisse ad paternae caedis poenas expetendas; patris sepulcrum hac nocte se lacrimis comisque suis et agni sanguine honorasse; urbem vero ipsam ingressum non esse, ne ab Aegisthi exploratoribus agnoscat. Sororem autem suam se quaerere, quam alicui nupsisse audiverit, ut eam facinoris sociam recipiat ab eaque, quae in urbe agantur, resciscat. Mox mulierem, quam famulam esse arbitratur, accedere videns, hanc percontari de iis, quae scire cupiat, constituit. (— Vs. 109.)

Redit Electra, quae aquatum abierat et carmine

Iugubri miserias suas deplorat. Patrem enim occisum esse, fratrem exsulare, omni spe se carere.

οἶα δὲ τις κύνος ἀχέτας
 ποταμίαις παρὰ χεύμασι
 πατέρα φίλτατον ἀγκαλεῖ,
 ὀλόμενον δολίαις βρόχων
 ἔρκεσιν, ὡς σὲ τὸν ἄβλιον
 πατέρ' ἐγὼ κατακλάσμαι,
 λουτρὰ πανύσταθ' ἰδρανάμενον χροῖ, κροίτη ἐν οἰκτροτάτῃ
 θανάτου. (Vs. 151—158.)

Prodit in scenam mulierum rusticarum Chorus Electramque adhortatur ut secum ad publica Iunonis sacra eat. Haec vero neque prae dolore animum suum festa appetere, nec sordidis vestibus indutam se tristi animo sollemnibus interesse posse respondet. Quare Chorus, vestibus ornamentisque suis Electrae oblatis, eam monet ne nimis lacrimis indulgeat, immo potius precibus Deos adeat. Ad quae Electra:

οὐδεὶς θεῶν ἐνοπὰς κλύει τὰς δυσδλίμονας,
 οὐ παλαιῶν πατρός σφαγιασμῶν. (Vs. 198 sqq.)

Deos humanas calamitates curare abnegat vehementer, quod propriis miseriis probans Aegisthi Clytaemnestraeque impunitate confirmat.

Hoc temporis momento Orestes cum Pylade comitibusque ex latebris procedens, Electram pavore perculsam et iam fugam parantem manu retinet fratrisque mentione facta omni metu liberat:

ἤγω φέρων σοὶ τοῦ κασιγνήτου λόγους. (Vs. 228.)

Neque vero Orestem se esse sorori significat sed ab eius fratre se esse missum simulat; hunc sibi, ut quae Argis agantur requirat, mandasse. Quare

Electram non solum de misera eius conditione ¹⁾ interrogat, sed etiam de Aegisthi Clytaemnestraeque consiliis. Exquirat, quo modo Orestes redux patris caedis ultionem persequi possit, Electramque in perpetrando facinore ei adiutricem fore comperit. Tandem Electra, oratione longius producta (vs. 300—338) ipsius miseram sortem repetit, matris superbiam impudentiamque refert, Aegisthi petulantiam et insolentiam narrat, patris inhonoratum quin etiam contumeliose violatum sepulcrum memorat, omnia fratris reditum etiam atque etiam postulare obtestatur.

Ecce redit ab agro rusticus, primumque iuvenes cum Electra colloqui miratur: etenim

γυναίκε τοι

αἰσχρὸν μετ' ἀνδρῶν ἐστάναι νεανῶν (Vs. 343 sq.)

Mox vero, re audita, hospites invitat ut domum suam ingrediantur, iisque fruantur quae ipsius paupertas iis offerre possit. Cuius viri liberalitate motus Orestes cum cum ditioribus vel potentioribus comparat et pluribus de mortalium variis moribus philosophatur: neque enim hominum conditionem, divitias, potentiam aut generis nobilitatem certa esse virtutis, probitatis, fortitudinis aut ingenii indicia. (Vs. 367—400.)

Oreste cum comitibus suis domum ingresso, Electra rusticum vituperat quod hospites exceperit, quibus nihil satis dignum offerre possit: quare ei suadet, ut senem adeat Agamemnonis olim paedagogum eumque roget ut ipse veniat et quaedam ad coenam

¹⁾ Vs. 251: *τηλερῆς* pro *τηλευρῆς*? *Seidler* coniecit: *τῆλ' ὄρος*; *L. Dindorfius*: *τλημόνως*, (ell. vs. 206 et 305) nec prorsus immerito.

parandam secum ferat. Quod mandatum diligenter persecuturus discedit rusticus domumque intrat Electra.

Iam Chorus pulchro cantico (vs. 432—486) Graecorum adversus Troiam expeditionem celebrat et Achillis arma a Vulcano fabricata describit. Inde Clytaemnestrae facinus memorat, cuius sceleris poenam expetit et a Diis vindictam precatur.

Via montisque arduo ascensu fessus tarde accedens senex Electrae agnum offert et caseum vinumque, quae ad hospitem coenam attulit. Quem lacrimantem videns Electra, domo egressa, doloris causam quaerit. Narrat igitur senex se Agamemnonis sepulcrum, haud procul a via positum, adiisse, in eoque ovem recens mactatam vidisse et crinium cincinnos in mortui honorem detonsos. Nec tamen hoc Argivorum aliquem fecisse; quare Orestem rediisse suspicatur, Electramque rogat ut capillos illos cum ipsius comis conferat, vestigiaque premens videat an pedi suo convenient. Haec vero ita nihil probari iudicans, a peregrino quodam potius vel clam ab Argivo haec dona tumulo imposita esse arbitratur. (—Vs. 546.)

Iam coena finita, domo cum comitibus exit Orestes, quem vix aspicit senex, cum agnoscit τὸν φίλτατον. Exsultans prae gaudio sibi temperare nequit, remque statim Electrae aperit. Cui signum quaerenti, unde certo cognoscere possit fratrem adesse, cicatricem iuxta supercilium Orestis monstrat, quam olim puer cum sorore hinnulum consectans ex casu contraxisset. Omnibus igitur dubiis solutis, Electra insperatae laetitiae tota se tradit, neque Orestes amplius se

eius fratrem esse negat, sed se venisse profitetur ut cum ea certamen ineat, cuius exitum, Diis adiuvantibus, felicem fore auguratur.

El. ἐκείνος εἶ σύ;

Or. σύμμαχος γέ σοι μόνος,
 ἦν ἐκσπάσωμαι γ' ἐν μετέρχομαι βόλον.
 πέποιθα δ' ἢ χρὴ μηκέτ' ἠγείσθαι θεούς,
 εἰ τὰδὲ ἔσται τῆς δίκης ὑπέριστα. (Vs. 610 sqq).

Chorus gaudio elatus brevi carmine diem laetum celebrat, quo tandem Orestes in patriam redierit Diisque gratias agendas esse monet.

Iam Orestes cum sene et Electra consilia init, quo optime modo rem aggredi possit: quare ex illo quaerit num forte Argis habeat quosdam suae causae faventes. Quam vero spem praecidit senex:

ὦ τέκνον, οὐδέεις δυστυχῶντί σοι φίλος.

et mox:

ἐν χεῖρι τῆ σῆ πάντ' ἔχεις καὶ τῆ τύχῃ
 πατρῶου οἴκου καὶ πόλι' λαβεῖν σέθεν. (Vs. 610 sq.)

Quo igitur modo Aegisthum occidere possit ei porro indicat. Se scilicet in itinere Aegisthum vidisse haud ita procul Nymphis sacrificium parantem. Orestem vero oportere eo tendere, quem, conspectum, sine dubio tyrannus ad sacra epulasque invitaturus sit: sic rei perpetranda occasionem praeberi. Famulos, quibus stipatus sit, ne metuat: istorum enim naturam (modo res prospere cedat) hanc esse, ut victori semper faveant. Quod autem ad Clytaemnestram attinet, huius caedem parare Electra suscipit. Iubet senem reginam adire atque nuntiare filium se partu edidisse: hoc enim audito venturam esse Clytaemnestram:

ἐλθεῖσα μέντοι δῆλον ὡς ἀπόλλυται (Vs. 660).

Re ita constitua, frater et soror Iovis et Iunonis auxilium precantur, patrisque Manes invocant, ne liberos deserat. Victo vero fratre mortem sibi consciscere decernit Electra.

Iam Chorus carmine antistrophico (vs. 699—750) horum malorum originem repetit auctique agni historiam celebrat: quorum omnium tamen immemor Clytaemnestra coniugem impie trucidare non dubitavit.

Mox vero, audito clamore, Chorus Electram domo evocat, quae, primum vano metu percussa et iam mortem sibi parans, laeto Orestis famuli cuiusdam nuntio omni desperatione liberatur.

ὦ καλλίνικοι παρθένοι Μυκηνίδες,
 νικῶντ' Ὀρέστην πᾶσιν ἀγγέλλω φίλοις,
 Ἄγαμέμνωνος δὲ φονέα κείμενον πέδιφ
 Αἰγισθῶν· ἀλλὰ θεοῖσιν εὐχεσθαι χρέων. (Vs. 761—764.)

Deinde Electrae petenti fusius Aegisthi caedem narrat. Orestem enim Thessalum se esse simulantem et ad Alpheum tendere, ut Iovi Olympico sacra faceret, ab Aegistho sacrificio epulisque invitatum fuisse. Cum vero in aedes se recepissent, famulos hastas deposuisse ut ad opus se accingerent, atque Aegisthum vitulum mactasse, et, ut exta inspiceret, toto corpore inclinatum ab Oreste securi percussum cecidisse. Inde tumultum famulorum ortum; Orestem vero turbam sedasse omniumque animos sibi conciliasse, dicentem se non tamquam hostem civitati venisse, sed ut patris caedem ulcisceretur. Mox autem ipsum adfuturum Aegisthi caput tamquam victoriae signum ferentem. (Vs. 774—858.)

Dum laeto cantu Chorus gaudium suum significat,

Electra comae ornamenta et coronas nectit casque Oresti et Pyladi redeuntibus offert.

Aegisthi corpus et caput sorori tradit Orestes, quae, hostis morte nondum placata, eius reliquias probris et conviciis insectatur, ei quaecunque passa sit exprobrat, eiusque scelera recenset et exagitat. (Vs. 907—956).

Iam, dum Electra ¹⁾ Aegisthi cadaver famulos amovere iubet, curru vecta appropinquat Clytaemnestra; matrem necare dubitat Orestes, sed Electra fratrem animo abiectum ad ultionem excitat eiusque dubia solvit; sororis tandem monitis obsecuturus domum intrat Orestes. (— Vs. 987).

Advenientem reginam, splendido ornatu captivarumque caterva insignem, salutatur Chorus. Matri obviam procedit Electra, ut eam a curru descendentem manu prehendam; quod officium servile recusans regina facinoris sui rationem filiae probare cupiens, factum defendit, quod Iphigeniam in Aulide mactasset Agamemnon Cassandramque in aedes induxisset. (Vs. 1011—1050). ²⁾

Libere dicendi venia accepta, Electra non hanc ob causam patrem necatum esse ostendit matremque nullam excusationem habere, quod legitimos Agamemnonis liberos ex aedibus expulerit. (Vs. 1060—1099.)

Simulato amore filiae ignoscit regina atque causam requirit, quare arcessita sit. Respondet Electra, quum nunc primum pepererit, se nescire:

¹⁾ Vs. 959—961, 963, 965 Electrae, vs. 962 et 964 Oresti tribuit *Nauckius*.

²⁾ Iisdem fere argumentis de culpa sua se excusat regina, quibus in Aeschylis et Sophoclis tragoediis.

δεκάτη σελήνη παιδὸς ὡς νομίζεται

adeoque matrem advocasse, ut haec sollemne in puerperiis sacrificium ordinaret. Intrat domum regina, ut rite hoc munere fungatur et abeuntem tecte alloquitur Electra:

Σύσεις γὰρ οἶα χρὴ σε δαίμοσιν εἶεν.

et mox

υμφεύσει δὲ κἄν "Αἰδου δόμοις,

ἥπερ ξυνηΐδες ἐν φάει τούτῳδ' ἐγὼ

δώσω χάριν σοι, σὺ δὲ δίκην ἐμοὶ πατρός. (Vs. 1144 sqq.)

Scena deserta repetit Chorus ἀμυβᾶς κακῶν et indignam Agamemnonis caedem luget, iustitiae vero divinae recordatione animum recipit.

Subito, dum canit, percussae Clytaemnestrae vox auditur:

ὦ τέκνα, πρὸς θεῶν μὴ κτάνητε μητέρα. (Vs. 1165.)

Matris respersi sanguine redeunt Orestes et Electra ¹⁾ ae, praesenti Clytaemnestrae cadavere ²⁾, conscientiae iam stimulis agitati alter in alterum culpam convertunt, factique poenitentiam, qua ex-cruciantur, magis etiam augent, memorantes quam misere mortem deprecata sit mater, pectus nudans, liberorumque genua amplexa (Vs. 1177—1232).

Ecce apparent in aëre conspicui Castor et Pollux ³⁾ Orestemque alloquuntur atque Iovis et Fati iussa ei significant. Iure enim Clytaemnestram esse occisam; quod vero a filio suo necata sit, huius rei culpam

¹⁾ Suas Choro partes in hac scena primus tribuit *Kirchhoffius*, vid. *Dindorf*.

²⁾ Cf. vs. 1227—1231 et 1244.

³⁾ De hoc tragoediae exitu ἀπὸ μηχανῆς, disputavimus infra cap. IV. — *Nauckius* vs. 1233—1359 spurios esse putat.

in Apollinem coniiciunt. Pyladem autem iubent Electram ducere uxorem et cum ea et rustico in Phocidem reverti, atque hunc probitatis suae causa opibus ditare. Oresti vero nuntiant Furias ipsum agitaturas esse:

σ' αἱ κυνώπιδες θεαί

τροχηλατήσουσ' ἐμμανῆ πλανώμενον. (Vs. 1253.)

Quare Athenas se conferat, ut ibi Apollinis opera ab Areopago absolvatur. Deinde in Arcadia ad Alpheum flumen urbem incolat, cui nomen suum imponat, monent. Aegisthi autem sepulturae curam cives habituros, Clytaemnestramque ultimis honoribus prosecuturos esse Menelaum et Helenam ex Aegypto reduces affirmant. Orestem denique, Electrae valedicentem et Pyladis curae sororem committentem, admonent Dioscuri ne amplius moretur, sed matris Furias effugiat, Athenasque se conferat. Quibus dictis, ipsi nautis opem lataturi sublimes abeunt.

Finem facit Chorus:

χαίρετε· χαίρειν δ' ἔστιν δύναιται

καὶ ξουτυχίᾳ μὴ τινὶ κάμνει

θνητῶν, εὐδαίμονα πρᾶτσει.

C A P U T III.

COMPARATIO TRIUM FABULARUM.

§ 1.

De ratione diversa singularum fabularum.

Tragici, prout cuique ingenium erat, historiam Orestis paternam caedem ulciscantis, partim diverse tradiderunt, partim in enarrandis rebus inter se conveniunt. Nec mirum: quae enim Homerus et poetae cyclici, porro Hesichorus, Pindarus, alii de ultione Orestis dederant, non satis integra ad nos pervenerunt. Quantum colligi potest ex scriptis, quae supersunt, non nisi summatim hanc historiam rettulerunt ideoque poetis tragicis licebat ex ingenio suo addere, quae apta putarent. Orestem autem futurum paternae necis ultorem memorat *Hom.*, Od. α, 35, 36; qua vero ratione viaque propositum suum assecutus sit apud poetam summum mentio non fit. Plura dabat *Stesichorus* Himeraeus; is *Ὀρεστειαν* composuit, in quo carmine Agamemnonis caedem et ultionem canit. Nutrix *Λαοδαμεία* Orestem, patre mortuo, manibus Aegisthi et Clytaemnestrae eripuerat; egressus puerili aetate redit in patriam, paternam caedem ulciscitur, auctoresque caedis interficit. Quo facto, Furiis agitatus, ab Apollinē arcum accipit, quo illas propelleret. Haec sunt quae *Stesichorus* de ultione Orestis memorat.

Quae *Pindarus*, *Pyth.* XI, vs. 15—37 narrat, huc fere redeunt: Orestes matris Clytaemnestrae dolis subtractus est per Arsinoën nutricem, quum Cassandra et Agamemnon a regina interficerentur. Quae-rit poeta quanam huius caedis causa fuerit? Num ob Iphigeniam immolatam, an adulterio cum Aegistho facto inducta Clytaemnestra talia commisit? Nam illud quidem maximum flagitium est uxorum iuvenilium, nec tegi potest, divulgantibus vulgi sermonibus. Occisus autem est Agamemnon cum Cassandra, redux a deleta propter Helenam Troia, Orestes vero ad Strophium delatus, unde postea reversus

χρονίω σὶν Ἄρει

πέφυνε τε μάτερὰ θῆκε τ' Αἰγισθοῦ ἐν φονίᾳ.

Iam primum, quibus rebus *de Orestis pueritia et exilio* inter se discrepent poëtae tragici, deinde *de Agamemnonis morte*, quae singuli tradant, videamus.

Narrat *Aeschylus* (*Agam.* 877 sqq.) Orestem ab ipsa Clytaemnestra, ante Agamemnonis reditum, ad Strophium Phocensem missum esse, apud quem educaretur.

Apud *Sophoclem* vero Orestem matris furori surripuerat Electra (vs. 297, 321, 1132 sqq.) eumque seni cuidam (paedagogo) educandum tradiderat. Hic Orestem, ab sorore acceptum, in Phocidem abstulerat ibique eum educaverat (vs. 1350), ut postea patris mortem ulcisceretur. (vs. 14.) In Phocide degit Orestes vitam apud Strophium (vs. 1110 sqq.); ob- stare videtur vs. 670 sqq., nam hoc loco Paedagogus, falsum de Orestis morte nuntium afferens, dicit se a Phanoteo Phocensi missum esse et quod difficilium explicandum est, ipsius Orestis iussu (vs. 45) id dicit. Sed Sophocles consulto sic res fingit; Stro-

phium enim si Paedagogus memorasset, fidem ei non facile habuissent Clytaemnestra et Aegisthus, quippe cui ipsi Strophio Orestes traditus esset, quam ob causam Strophius amicus iis esse non poterat. Phanoteus vero

μέγιστος αὐτοῖς τυγχάνει δορυξένων (vs. 46.)

et ideo iis suspicionem movere non poterat. Fuit etiam alia causa, quare poeta Phanotei mentionem fecerit. Phanoteus erat ἥρωσ ἐπώνυμος urbis cuiusdam Phocidis cui nomen erat Φανοτεύς vel Πανοπεύς ¹⁾. Urbs illa olim inimicitias gerebat cum urbe Crisa, quae nomen ducebat a Criso; Strophius autem Crisi filius erat. Tam, uti Strophius cum Oreste, ita Clytaemnestra et Aegisthus cum Phanoteo, utpote inimico Crisi, iuncti fingebantur.

Euripides vero narrat Orestem a patris vetere paedagogo subductum Aegistho et in Phocide Strophio educandum traditum esse (Vs. 16). Ille Strophius ²⁾ cum Achaeorum duce necessitudine coniunctus est (Orestes, vs. 1233). Pylades porro consobrinus (ἀνέψιος) Orestis est (Iphig. Taur. 919); Strophius enim Atrei filiam uxorem duxerat, vs. 918 ibid.

De *Agamemnonis* morte alia alius poeta tradit.

Primum *Aeschylus* partim Homerum secutus est, partim ipse pauca addidit. Quae Homerus narrat, haec sunt: Agamemnon, ad Troiam expugnandam proficiscens, domi reliquerat ἀοιδῶν ἄνδρα, cui uxoris custodiam commiserat; nihilominus Aegisthus blandis

¹⁾ Cf. *Strabo*, 9, 423: Πανοπεύς, ὁ νῦν Φανοτεύς.

²⁾ Apud *Aesch.* Agam. vs. 880 Strophius Agamemnonis est εὐμένης δορυξένος.

verbis et donis Clytaemnestram corrumpere studuit; tandem, custode illo in insulam desertam deportato, eam ἐθέλων ἐθέλουσαν domum suam deduxit, (Od. γ, 262—275). Agamemnonem in patriam redeuntem conspicit speculator mercede conductus, statimque is Aegisthum ea de re certiore facit; viginti viros in insidiis collocat Aegisthus et ipse obvius fit Agamemnoni curribus et equis; non in regias aedes, sed domum suam deducit, laute excipit; repente Aegisthi milites, Agamemnonis comites adorti, omnes trucidant (Od. δ, 520—538 et λ, 387—389); Aegisthus, spretis deorum monitis (Od. α, 35 sqq.) Agamemnonem obtruncat, Clytaemnestram uxorem ducit, (γ. 235). Regnum occupat, subacto populo. (γ. 304 sqq).

Iam *Aeschylus* speculatorem non Aegisthi auro conductum, sed ab Clytaemnestra iussum Agamemnonis reditum observare fingit. In excelsa aedium regiarum parte collocatus exspectat, dum ignem, signum Troiae excidii, conspiciat. Agamemnonem, simulato amore, blande excipit Clytaemnestra (non Aegisthus), in regias aedes eum deducit, ibique in balneo, velatum pallio quodam, Aegisthi ense propria manu confodit. Aegisthus apud Aeschylum tantum doli inventor est. Cadaver Agamemnonis Clytaemnestra male mulcat, vix sepulturae honore dignum habet.

Tragicus igitur, ut apparet, in multis discrepat a summo poeta.

In paucis istis, quae *Sophocles* de Agamemnonis morte habet, Homerum plerumque auctorem sequitur. Aegisthum et Clytaemnestram (vs. 97) narrat, Agamemnonem in ipsius domo (194), dolo aggressos (197). inter epulas (203) securi trucidasse (vs. 99).

Iam vero *Euripides* in paucis tantum differt ab *Aeschylō*. Initio fabulae (*Electra*, vs. 9) Agamemnonem Clytaemnestrae dolo Aegisthique manu interemtum refert in ipsius domo (318), sed utrumque sceleris participem fingit (86, 123); eum enim in balneo (157), ἀπείρω ἰφράσματι impeditum (*Orest.*, vs. 25), securi et gladio (*El.* 160, 164) iugularunt.

Iam transcamus ad *Clytaemnestrae somnium*, in quo narrando discrepant Aeschylus et Sophocles. Digni, qui conferantur, sunt hi loci (*Choeph.* 527 sqq. et *Electra* 417 sqq.) tum ob diversam rationem, qua somnium describant, tum hanc ob causam, quod diversum plane ingenium utriusque poetae hac in re conspicitur. Ex Agamemnonis sceptro ramum viridum exortum esse, quo Mycenae obumbratae fuerint, tradit Sophocles.

Aeschylus serpentem, Clytaemnestrae pectori admotum, sanguinem una cum lacte eduxisse fingit ¹⁾. Utroque viso nocturno eadem est vis, eadem significatio; sed hoc terrorem movet, illud vero maiestatis quodam sensu insigne est. Clytaemnestrae somnium apud Sophoclem, vs. 480, ἀδυπνοὰ ἐνείρατα dicitur; apud Aeschylum vero idem vocatur, vs. 32 sqq.:

τορρε γὰρ ἐρθεῖθριξ φόβος
δόμων ἐνειρόμηντις, ἐξ ὕπνου κότου
πνέων.

In ἀναγνωρίσει aliam alius poeta viam iniit: signa, quibus fratrem agnoscit soror, adhibet Aeschylus

¹⁾ Auctorem habuisse videtur Aeschylus Stesichorum, fr. 42 (ed. Bergk.)

τῆ δὲ δράκων ἐδόκησε μολεῖν κέρα βεβροτωμένως ἄκρον
ἐκ δ' ἄρα τοῦ βασιλεῖς Πλεισθεΐδας ἐφάνη.

Πλεισθεΐδας i. e. Orestes: Plisthenes enim Atrci filius erat.

crines, pedum vestigia et vestem ab ipsa Electra contextam (Choeph. 168, 183—211, 231 sqq.). Veri vero similitudine illa agnitio ex pedum vestigiis se non commendat. Poterat certe Electra Orestem agnoscere crinium similitudine (vs. 178) et vestibus sua ipsius manu contextis ¹⁾. Ex fratris vero propiorumque pedum formae similitudine Orestem adesse perdifficile videtur Electra conicere potuisse. Repertis comis sane spem bonam concipit; nec mirum: non enim alienum esse videtur ab hominum natura, ex rebus levissimis spem capere eos, qui vehementer aliquid concupiscant. Euripides etiam (Electra, vs. 534 sqq) eiusmodi agnitionem ex pedum vestigiis plane non verisimilem putabat. Ipsa enim Electra negat pedes viri feminaeque eiusdem magnitudinis esse posse: ἀλλ' ἄρσθη κρατεῖ (l.l.). Videtur hac in re Euripides tragoediae patrem ridiculi causa carpsisse (ibid. vs. 524—531 et 541—544) ²⁾ Apud Sophoclem vero neque crinium aut pedum vestigiorum neve vestium mentio fit. Orestes de ipsius morte a sorore suo interrogatus, ostendit σφραγίδα, sigillum patris sui Agamemnonis, quod Electra fratri suo dederat, ut aliquando eum reducem agnosceret (El. vs. 1222 sqq.)

In Euripidis fabula senex Orestem eadem ratione agnoscit, qua Ulysem apud Homerum nutrix Euryclea. Scilicet Orestes olim puer cervum sectatus cicatricem contraxerat. Hoc signo Electra fratrem suum agnoscit. (El. 573 sqq.)

¹⁾ Cf. A. Westermayer, die Electra des Sophocles aesthetisch erläutert, p. 133 sqq.

²⁾ Cf. imprimis Eur. El. 530 sq. et Choeph. 230; vid. supra pag. 53.

Quod ad περιπέτειαν attinet, hac in re discrepat Sophocles ab Aeschylō et ab Euripide.

Apud Sophoclem primo loco Clytaemnestram interficit Orestes, deinde Aegisthum. Contra Aeschylus et Euripides primum Aegisthum, mox reginam iugulari finxerunt. Hac ratione sane augetur tragica vis; occiso enim Aegistho, auditores anxie reginae fatum expectant; matricidio enim terribilius nullum factum excogitari posse videtur neque scelesti et ignavi tyranni mors tam vehementer animos movebit, quam matris ab ipso filio necatae aspectus.

Sophoclis vero περιπέτειας ordinatione languere videtur finis fabulae ¹⁾. Non enim tantam vim tragicam habet mors Aegisthi, quantam caedes Clytaemnestrae. Accedit quod matris maxime nece liberatur Electra a malis suis; fatum Aegisthi, praesertim cum eo absente res agantur, non admodum curamus. Etsi hoc non nego Aegisthi demum morte τραγικὴν κάθαρσιν adesse, mihi quidem maior voluptas tragica trahi posse videtur ex caede matris, quam ex nece ignavi tyranni. Clytaemnestrae enim culpa ideirco maior et gravior esse videtur, quod in hac tragoedia omnia ad Electram referri animadvertimus atque matris potissimum nequitia Electra vexatur. Deesse sane haec scena non potuit sed miseratione certe, ni fallor, non admodum commovemur, quippe qui non satis Aegisthum curemus ²⁾.

¹⁾ Cf. A. Westermayer, l.l. p. 164 sqq.

²⁾ Mirum sane videtur (coll. vs. 1370) Aegistho regiam cohortem deesse; neque rationibus hoc a poeta firmatur; melius Aeschylus Choeph. vs. 770 sqq. ubi, iussu Chori, nutrix Regem hortatur ut quam citissime *solus* adveniat.

Alia alius poeta ex singularum fabularum ratione et ordine in enarranda Aegisthi Clytaemnestracque morte finxerunt. In Choephoris tyrannum, aedes ingressum (vs. 848 sq. et 851) ut ipse de Orestis morte certior fiat, trucidat Orestes; rem autem narrat famulus. In Sophoclis vero tragoedia Aegisthus, intro ad caedem raptus, eodem, quo Agamemnon necatus fuerat, loco ab Oreste iugulatur, cf. vs. 1491 et 1495. Contra apud Euripidem Orestis famulus mortem Aegisthi narrat: tyrannum scilicet, in sacris Nymphis faciendis occupatum, securi caedit Orestes, El. vs. 774—858.

Quod autem ad Clytaemnestrae caedem attinet: intus ad caedem rapit matrem Orestes in Choephoris vs. 904; eadem ratione in Sophoclis Electra (vs. 1406 et 1424) intus meriti datur regina, dum in funebrem coenam Orestis cineres honoribus ornat, cf. vs. 1401. Contra Euripides dolo captam Clytaemnestram et ab Electra in aedes introductam (scilicet ut sollemne in puerperiis sacrificium ordinaret) finxit; stimulante autem sorore matrem trucidat Orestes, vs. 1166 et 1172 sq.

Animadvertimus igitur poetas tragicos hac in re convenire, quod facinus scelestum ante spectatorum oculos ponere prorsus devitent, quippe quod fieri minime artis leges permittant ¹⁾.

Iam singularum *οἰκονομίαν*, ratione poetarum ingeniorum habita, inspiciamus.

In *Aeschylī Orestia* artis initia cernuntur. Uti enim cuiuscunque artis, quae, nondum satis elabo-

¹⁾ Cf. Schol. ad Soph. El. 1404 (ed. O. Jahn, Bonnæ, 1872).

rata, quasi ab incunabulis ad puerilem aetatem progreditur, proprium est, ut rudem et incultam sane, magnitudine vero et maiestate insignem imaginem proferat, sic in Orestia et virtutes et vitia magni ingenii artem nativam perficere et absolvere conantis facile deprehendas. Eo fit, ut singulas operis partes vel paullo neglectiores vel certe non satis elaboratas reperias; contra ingenii vis per totum opus elucet.

Aeschyli autem tragoediae grandi orationis genere, gravitate, simplicitate insignes sunt; in moribus vero depingendis facile eum superat Sophocles. Cuius rei haec videtur esse causa, quod Chori longioribus cantibus ipse poeta sibi ad hoc propositum assequendum impedimentum attulerit. Qui cantus, etsi breviores nonnumquam facti, longiores tamen sunt, quam ut aptus detur locus propriae indoli et ingenio personarum singularum in actione explicandis ¹⁾. Huic rei deinde, circumscripto Chori usu, singulari arte operam dederunt Sophocles et Euripides. Minime tamen hoc ita est accipiendum, quasi mores plane neglexerit Aeschylus, aut vitiose adhibuerit. Hoc tantum volo, poetam non tam magnam operam

¹⁾ In Agamemnone (1673 vs.) Chori cantus longiores continent fere 800 vs.

In Choephoris (1067 vs.) fere 400 vs.

In Eumenidibus (1047 vs.) fere 400 vs.

Phrynichi chori cantus suavissimi (cf. Ar. Aves 750 et Vesp. 200), cum uno tantum histrione usus sit, maiorem in eius tragoediis locum occupant. Primus Aeschylus duos histriones instituit, Chori partes imminuit et dialogo primas dedit, vid. Arist. A. P. c. IV, 1449, a, 16 sqq. Postea, auctore Sophocle, tres histriones adhibuit in Orestia, quae trilogia inter postrema Aeschyli opera refertur, vid. K. O. Müller, LL, II, p. 55.

in iis depingendis posuisse, ut personarum indoles perturbationum affectuumque vi et impetu satis proferatur et emineat. Plura hac de re infra, cum ipsarum personarum mores exponamus, disseremus.

Aeschylus, quum factum inauditum canere vellet, omnia arripuisse videtur, quae horrorem movere et augere possent. Inde crebrae caedis regiae, Divinae vindictae, Furiarum, ultionis mentiones. Nulli ornatus, nullae digressiones auditorum animos a Pelopidarum malis recreant. Toti fabulae atrum quasi velum obductum est ¹⁾. Accedit quod, inclinato iam die, mox νυκτὸς ἄρμ' ἐπείγεται σκοτεινόν; quae noctis appropinquantis tenebrae terrorem movent maximeque conveniunt Agamemnonis umbrae; quae, Orco quasi excitata, rei gerendae continuo interesse filiumque ad matrem necandam propellere videtur. Praeterea tragoedia se commendat actionis et varietate et gravitate, quo fit ut auditorum intentio magis magisque augeatur et miseratio primum, deinde metus, tum terror, quin etiam horror excitentur.

Ultionis consilium et ratio, quam cum Electra Cho-roque Orestes meditatur, deinde quos struit doli ut ipsam rem aggrediatur, tum ultio et caedes ipsae, postremo facti inauditi et consideratio et cogitatio, quae singulae partes quasi actus tragoediae esse videntur, aptissimae sunt ad spectatorum animos movendos atque

¹⁾ Recte *Joh. Minckwitz*: Euripides' *Electra*, Einl. p. 14 de Choephoris: Das Stück des Aeschylos zieht an uns wie ein furchtbares Gewitter vorüber vor dessen Blitzen die Schuldigen sich nicht verbergen können; es rollt sich am Horizont langsam, aber immer schwärzer und schwärzer zusammen, bedeckt endlich den Himmel und trifft dann die zu treffenden Opfer mit schnellen tödtlichen Schlägen.

tenendos. Quod autem ad gravitatem attinet, qua, ut ita dicam, imbutas omnes Aeschyli tragoedias vides, in Agamemnone et in Eumenidibus, praecipue in horum nominum personis, perspicere hanc poetae ingenii virtutem possis. In nostra autem fabula, uti summae gravitate permovemur, ita singularum partium si habes rationem, infixam animo haerebit scena illa initio fabulae, in qua Orestem in patris tumulo Mercurium infernum et Iovem invocantem vides, deinde Orestis sororisque sepulcro insidentium preces et querelae, mox filius matrem arripiens neque eius precibus motus; ultimo denique loco Chori canticum lugubre rerum gravitate et personarum affectuum altitudine vehementer animum commoveat necesse est.

Arte iam cultiore et politiore usus est *Sophocles*. Primum, etsi in multis Aeschylum sequitur, plane novam et ab Aeschylea tragoedia diversam protulit tragoediam. Moribus enim magis distinctis personas suas ornavit, Chori usum circumscripsit, nodum magis implicuit, plures personas adhibuit. Praeterea Sophoclis *Electra*, non ut *Choephor*, pars est trilogiae, sed ipsa per se stat. Inde efficitur, ut, etsi in multis Aeschylum sequitur, in plurimis ab eo discrepet necesse sit. Sane, ut Aeschylus finxit, Orestes cum Pylade in patriam redux falsum de sua morte nuntium affert, somnio perterrita inferias Agamemnoni mittit Clytaemnestra, comas suas in patris tumulo deponit Orestes aedesque regias idem clam ingreditur. Sed non tantum in fabulae ordinatione tragoediae patrem non imitatus est, immo vero aliam viam iniit et nova addidit.

Mercurium Infernum, Manes, Furias Aeschylo reliquit; rem, quae in Choephoris quasi apud Inferos agitur, in lucem et solem protraxit. Ipsa aurora apud Sophoclem actio incipit, Chori feminae non fuscis vestibus indutae, sed nobili genere orti sunt; Agamemnonis sepulcrum oculis non obiicitur, sed lucus, templum, ager Argivus. Velum, Aeschyli tragoediae obductum, reduxit.

Nec sine causa illud fecit poeta. Uti enim apud Aeschylum Agamemnonis sepulcrum quasi cardo est, in quo omnia vertuntur, ita mortuo regi vivam substituit Electram Sophocles. Ille Agamemnonis caedem ultionem provocantem, hic vero regis miseram filiam sibi tragoediae argumentum proposuit. Inde factum idem novo plane modo in scenam protulit. Hac re praeterea differt Sophocles ab Aeschylo, quod, uti parum actionis inest Choephoris, ita in Electra progressio quaedam spectetur. Augetur spectatorum intentio usque ad Clytaemnestrae mortem. Chrysothemidis primum lenis et facilis indoles eademque reginae dona ad patris tumulum ferens, sororemque admonens Aegisthum decrevisse illam in carcerem includere, Electrae indignationem movet. Sequuntur Clytaemnestrae defensio et minae. Iam senex adveniens Orestem cecidisse nuntiat. Rediens Chrysothemis gaudio vano elata et deinde sorori ultionem paranti adesse recusans ab omnibus desertam omni spe destitutam reliquit. Ultimo loco adfertur urna qua fratris continentur cineres. Sequitur ἀναγνώρισις et mox περιπέτεια. Huc usque omnia bene se habent atque uno tenore procedunt; finis vero tragoediae laborat. Duobus enim factis constat περιπέτεια, Cly-

taemnestrae morte et Aegisthi nece, sed, regina occisa, parum sequentia curamus. Causas iam supra memoravimus.

Iam vero plura de Sophoclis *Electra* cum infra, cap. IV disserere in animo sit, ad Euripidis fabulam transeamus.

Viam ab Aeschyli Sophoclisque tragoediarum ratione prorsus diversam iniit *Euripides*. Primum rure procul ab urbe res aguntur; deinde novas non solum personas finxit poeta, sed etiam *Electrae* malis cumulum addidit deosque ex machina adhibuit. Quam virginem in Sophoclis tragoedia miseriis certe obrutam, dignitate vero regis filiae per totum opus ornata vides, eandem hac in fabula omni splendore exutam ac in humiliore conditione versantem reperias. Indignis illa nuptiis ¹⁾ rustico cuidam iuncta et tanta egestate pressa, ut vix habeat unde hospitibus coenam praebeat. Rusticus ille bonus sane vir, eius vero erga *Electram* εὐρέβεια paene ridicula esse videtur.

Aliam quodammodo *Clytaemnestrae* mentem dedit poeta; misericordia primum, mox vero amore vere materno mota ad filiam properat, audito falso nuntio, *Electram* partu edidisse filium. Attamen hoc non dico, quasi per totam fabulam eadem voluntate ac benevolentia insignem se praebeuit regina; immo vero poetae tenuitas in depingendis moribus potius hac in re admiranda est. Gravis, dura, quin etiam crudelis *Clytaemnestra*; sed eadem in filiae vitae discrimine tota mater ²⁾.

¹⁾ Simulatas esse has nuptias finxit poeta, quippe quibus nimium dignitati *Electrae* detrahi videretur.

²⁾ Cf. vs. 1123—1138.

Operae pretium est totam hanc scenam (vs. 998—1146) evolvere atque animo perlustrare.

Hisce maxime rebus discrepat haec tragoedia ab Aeschyli Sophoclisque fabularum actione. Nec mirum: aliud enim sibi cogitatione animoque effinxit Euripides, aliud Aeschylus et Sophocles. Quatenus autem haec rerum ordine locoque laude digni sint singuli poetae, suo, progrediente disquisitione, loco quaerere et explorare occasio erit.

§ 2.

De personis.

Quales personarum mores in tragoediis esse debeant, quidque petat quidve fugiat poeta, iam supra (Cap. 1), duce Aristotele, vidimus. Iam ipsas tragoedias adeamus, ut, ordine singularum personarum moribus expositis, singulorum poetarum virtutes aut vitia propius cognoscamus, iudiciumque aequum ac verum de iis faciamus.

Iam primum, qualem *Orestem* nobis ob oculos posuerint poetae, videamus.

Strenuus, fortis, propositique tenax *Aeschyleus Orestes*. Quem cum patris memoria, interfectorum superbia nec minus Apollinis iussa ad maternam caedem incitent, nec amplius dubitat aut haeret. Redit una cum Pylade in patriam, patris deorumque auxilia precatur, sorori, quis sit, aperit. Luget patris miseram sortem, mox vero Electrae et Chori monitis, patrisque tumuli aspectu confirmatus, ultionis tantum rationem mente agit. Audito Clytaemnestrae somnio magis etiam excitatur; Choro deinde consilia

sua significat ea securitate animique tranquillitate, quae virum constantem certumque in rebus incertis declaret. Post, hospitis Phocensis habitu assumpto, haud matris aspectu conturbatur, immo vero callide sui que compos se ignorare simulat quinam sint ii, quibuscum colloquatur. Occiso vero Aegistho, matris mortem timentis precibus paulisper moveri videtur, sed mox, Pyladis monitis, ne iussa Apollinis neglegat, ultionis recordatus, intro ad necem rapit matrem. Nec denique re peracta aut aliter sentit, aut facti poenitentiam agit, sed etiam tum se recte et iure egisse universum populum contestatur. Ipso vero hoc temporis momento Furiis agitari incipit atque Delphos profugit, ubi Minervae inprimis Apollinisque opera, causa ad idoneos iudices delata, omni culpa liberatur.

Iam, ut paucis absolvam, apud Aeschylum Orestes strenuus, fortis, propositique tenax, sed — reveritus sive potius *metuens* iussa Apollinis, quippe qui horrenda supplicia ei minatus sit.

Quod attinet ad *Sophocleum Orestem*, in multis patrem traegoediae sequitur poeta, multis etiam ab eo discrepat. Primum Orestes proprio motu suscipit rem; qua vero ratione viaque eam perficere debeat, docet eum Apollo ¹⁾. Deinde saepius, antequam Delphicum adiit oraculum, Electrae clam per nuntios promisit se rediturum, ut paternam caedem ulcisceretur ²⁾. Diu quidem moratur, sed redit. Redux

¹⁾ Cf. Soph. El. vs. 32—37, 51 sqq. et 82 sqq.; vid. etiam Schneidewin, Einl. pag. 25 sq.

²⁾ Ibid. vs. 164, 171, 182 et 317 sqq.

in patriam, primum patris tumulum libationibus et comis suis honorare constituit (ita enim, auctore Apolline, prospere ei res eveniet) et paedagogum iubet aedes ingredi ut rerum statum noscat; simul et a Phanoteo se esse missum, ut mortem Orestis referat; cuius rei argumento esse urnam, quam ipse allaturus sit, senem significare iubet. Diversi abeunt, iuvenis ad patris tumulum, senex ad regias aedes.

Iam, vs. demum 1097 Orestem iterum in scenam prodeuntem animadvertimus. Affert secum urnam cum Orestis reliquiis, quam simul ac conspexit Electra, vix lacrimas continere potest; rogatus dat urnam Electrae Orestes et lamentationibus eius permotus, miserationi indulgens prudentiaeque oblitus Orestem se esse profitetur; quod ut maiore fide probet, sigillum patris ei ostendit. Laetitia elatam sororem prudens sedat frater, rerumque statum sciscitatur. Mox, adhortante paedagogo, aedes ingrediuntur viri et quod intenderat perficit Orestes. Matre occisa, paulo post Aegisthum quoque, rure reducem, gladio obtruncat.

Aliam prorsus esse indolem Orestis Sophoclei, aliam Aeschylei brevi hoc rerum conspectu satis apparet. Cuius rei haec causa esse videtur, quod diversam uterque poeta rationem secutus sit. Orestem enim Aeschylus, Sophocles Electram primo loco posuisse videtur. Accedit, quod Electrae potissimum animo ac voluntate omnia in Sophoclis tragoedia progrediuntur et ad finem perducuntur. Hoc vero negari non potest, poetam Orestem virili prudentia et imprimis singulari erga sororem amore insignem, praeterea fortiter in summo rerum discrimine agen-

tem, finxisse. Quibus rebus Sophoclem facile superare patrem tragoediae, nemo, comparatione facta, non videt.

Diversam iniit viam *Euripides*. Orestes enim Fati Apollinisque iussis ¹⁾ coactus rem perficit. Conditonem sororis, quam nuptiis cuidam iunctam esse audivit, exquirendi causa et simul ut matrem Aegisthumque morte puniat, redit in patriam. Audito Electrae cantu lugubri sororem agnoscit neque tamen, quis sit, profitetur ²⁾. Post, ubi primum senex, deinde soror Orestem agnoverunt, senis monitis ad facinus via parata, fratrem ad caedem instigat Electra. Caeso Aegistho, uti antea Deorum auxilia precatus erat, ita nunc quoque illis gratiam habendam laudesque tribuendas esse significat. Prudens atque sibi constans Orestes huc usque: matris vero appropinquantis aspectu perturbatus, hanc necare dubitat, quin etiam tantum facinus Deum iubere haud potuisse affirmat, vix denique sorori aegre et invitus cedit, matremque morti dare sustinet. Caede perpetrata, horrendi facinoris poenitentiam agunt frater sororque ac conscientiae stimulis agitati alter in alterum culpam convertit. Iovis tandem Fatique decretis

¹⁾ Cf. vs. 1301 sq.: *μοῖραν ἀνάγκης ἤγευ τὸ χρεῖον,
Φοῖβου τ' ἄσφοι γλώσσης ἐνοπαί.*

²⁾ Paene, audito quales sepulturae honores nactus sit pater, aperuit se Orestes:

Or. ὁ κατθανὼν δὲ σὸς πατὴρ τίμβρου κυρεῖ;

El. ἔκυρσεν ὡς ἔκυρσεν, ἐκβληθεῖς δόμων.

Or. οἴμοι, τὸδ' οἶον εἶπας

sed statim, recepto animo praesenti, pergīt:

αἰσθησις γὰρ οὖν

κᾶκ τῶν θυραίων πημάτων δάκνει βροτοῦς. (vs. 290 sqq.)

Orestes, Furiis instantibus, ex patria Athenas fugit ibique omni culpa liberatur.

Orestem, magis quam Electram, natura propius ad humanitatem accedente praeditum finxit Euripides. Fati Apollinisque iussis coactus rem suscipit, quo fit ut caeco potius impetu, quam proprio motu, ad agendum propellatur. Quem cum Electrae opponas, prudens certe sibi constans dici potest. Cogitur hic, cogunt illa, Fatum, Apollo. Quo fit, ut dubius et incertus rem, invito animo, perficere videtur. Fortis non est, quia fortis esse non potest. Euripideus Orestes multis in rebus plane contrarius Sophocleo Oresti. —

Electra in *Choephoris* pietate in patrem atque implacabili erga Clytaemnestram Aegisthumque odio insignis. Quam ob causam Orestem hortari atque instigare, ut rem strenue ac fortiter aggrediatur, non desistit. Libamina in patris tumulo dum solvit, cincinno pedumque vestigiis conspectis, Orestem adesse suspicatur; mox fratrem agnoscit et laeta *πρωτόν ἀδελφόν* salutatur. Deinde una cum fratre Choroque patris imprimis Deorumque auxilia precatur. Finitis precibus domum ingreditur Electra, nec amplius eius mentio fit.

Minorem certe partem Electrae tribuit Aeschylus, nec sine causa: Oresti enim primas partes dedit: eadem ratione Electrae maiores, Oresti minores partes tribuit Sophocles. Nihilominus veram prudentis sororis piaequae filiae imaginem refert. Mollis amabilisque naturae eam finxit poeta. Matrem sceleratam odit sane, speratque fore ne paterna caedes inulta mansura sit. Nusquam vero vehemens, invicta, ut

Sophoclis Electra, quae aequae summo amore ac summo odio movetur. Magna et praecipua eius indolis nota est animi vehementia. Neglecta et contempta, indigne et contumeliose habita, aedibus paternis fere expulsa, ne hoc quidem sibi relictum habet, ut patrem lugere et querelas libere effundere possit. Eo fit, ut in inimicos illa ferox et invicta sit, quin etiam eos horreat; amicis vero se devovere non dubitat, immo omnibus animi viribus et incredibili amore eos amplectitur. Paternae caedis ultionem solum cogitat, pietate aequae ac odio ducta. Cuius caedis ultorem Orestem aliquando reditum sperans, hoc solum cupit, hoc Deos precatur, hoc matri minatur. Fratrem periisse accipiens, primum animum despondet, mox vero sororis aspectu excitata, eam adhortatur ut defuncti Orestis vices suscipiant; huius quoque auxilio destituta, sola rem aggredi constituit, nec mortem metuit, dummodo patrem ulciscatur. Ipsius denique urnae aspectu, qua fratris continentur reliquiae, maximo afflicta dolore, mox, ubi fratrem agnovit, quo magis depressa fuit, eo magis insperato effertur gaudio. Iam sibi malorum querelarumque finem adesse, iam laetissimum illum diem illuxisse, quo, quod dies noctesque expectasset, adeptam sit! Audita matris moriturae voce, primum horrendum gaudium falsa tranquillitatis specie tegit et reprimit, quasi res, quae agitur, ad ipsam non pertineat, deinde, iterato clamore, se continere diutius nequit, sed furore abrepta fratrem ad caedem incitat. Aegisthi adventu, gaudium et iram simul, qua agitur, iterum compescere et moderari cogitur, ut simulato luctu, et quasi neces-

sitati cedens, omnem suspicionem removeat. Sed quo magis animi motus aegre repressit, eo apertius, quum eum mortem subterfugere non posse videat, veram indolem prodit. Nullam defensionem admittit, neque eius morte contenta est, immo sepulturae etiam honores ei negat, ut hoc quoque malorum solamine fruatur.

Nostris quidem moribus non probaretur Electra: consilio vero poetae si accurate attendimus, multa obscura primum, luce clariora nobis appareant necesse erit. Primo igitur loco tenendum est, Electrae primas partes tribuisse poetam; nec sine causa: quo erat ingenio, artem suam in depingendis hominum moribus proferre studuit. Virginis igitur, animi perturbationum vi et impetu permotae, imaginem referre statuit. Deinde, ne actioni fabulaeque nimium detraheretur, mente et animo potius quam factis Electrae res progredi atque ad finem perducere voluit. Hinc ad Electram omnia referuntur itemque ab Electra omnia profisciscuntur. Eam, ut paucis absolvam, naturam Electrae finxit poeta, qua actio continuo atque uno tenore, consiliis et opera, ab-solveretur ¹⁾.

¹⁾ Pulchre et vere *Otto Ludwig*, Shakespeare-Studien, 1872, pag. 378: »Welch' wunderbare Gestalt die Electra des Sophocles; wie wunderbar alle Schwäche und alle Stärke des Geschlechtes in der Gestalt; Hasz aus Liebe, wodurch auch der Hasz schön und weiblich wird. Wie schön, dasz sie nicht selbst handeln musz; das kommt dem Manne zu.» Et mox de agnitione (p. 380): »Wir muszten sehen, wie diese Electra liebt, um die Schönheit ihres Hasses zu verstehen; sonst war dieser Hasz unschön und unsere Theilnahme löste sich von ihr selbst los. Dasz sie der eigenen Leiden mit

Alia prorsus apud *Euripidem* Electrae conditio, alia eius indoles. Aedibus expulsa paternis, rure vitam in egestate degit; rustico cuidam nuptiis iuncta huius labores sublevare studet. Patris mortem lacrimis prosequitur, sacra sollemnique agere abhorret. Fratris exsilium luget, reditum exoptat. Paedagogo, ex indicibus quibusdam Orestem adesse putanti, vix fidem habere sustinet eique credulitatem exprobrat. Quin etiam ipsum fratrem, omnibus dubiis sublatis, adesse vix credere audet. Quem simul ac agnovit, spem animumque recipit seque matris invisae caedem suscepturam esse significat. Ab hoc inde temporis momento matris mortem tantum cogitat. Fratrem stimulat, senem falso nuntio arcessere matrem iubet, paternas Manes Deosque in auxilium vocat, ipsa sibi, victo fratre, mortem consciscere statuit. Equidem, vano metu perculsa, paene mortem sibi paraverat; audito vero de Aegisthi morte nuntio, laeta coronas nectit, quas Oresti et Pyladi imponit. Deinde, furore et indignatione abrepta, probris conviciisque iram in tyranni cadaver evomit. Tum, matre appropinquante, haesitantem fratrem monitis opprobriisque confirmat et reginae obviam it, ut eam, e curru descendentem, adiuvet. Sequitur matris filiaeque altercatio; patrem defendit, matrem, invito quamvis

gedenkt, das macht sie nur menschlicher; aber man thue die Erkennungsscene weg, und dieses Gefühl der eigenen Leiden wird vorschreien —, wir werden zu sehr die unversöhnlich ihr persönliches Leid Hegende, die Rachstüchtige sehen, die im blindem Affekte immer noch mehr Kränkung sich zuzieht."

animo ¹⁾ accusat filia. Ne materno quidem erga se amore movetur, immo vero supremam viam euntem ironia perstringit. Scelere perpetrato, misericordia ac poenitentia filiae animum vexant et culpam suam in fratrem transferre conatur. Tristi tandem animo caro fratri patriaeque valedicentem uxorem ducit Pylades.

Miseriis obruta Euripidea Electra; eius vitae insidiatur Aegisthus, cuius furori filiam eripit mater; detrusae in humiliorem vitae statum vix ad vivendum victus suppeditat. Agamemnonis filia cuius nuptias ambierant Ἑλλάδος πρῶτοι χθονός a matre rustico cuidam nuptum data. Quo fit, ut demissa primum animi, rerum statu fratris reditu mutato, audax ac ferox facta ultionem tantum cogitet spiretque. Quae modo de Sophoclea Electra dixi partim in Euripideam Electram quadrant, sed ita tamen, ut utriusque poetae arti Aristotelis ²⁾ monitum adhibeas necesse sit.

Electrae prorsus contraria ³⁾ Sophoclea *Chrysothemis* ⁴⁾. Timida et lenis Chrysothemis constanti et forti opponitur sorori. Sororem iure agentem profitetur, rerum vero necessitati cedat, (ut ipsa facit) admonet. Cui severe imprudentiam, ignaviam, quin

¹⁾ Cf. totam Electrae orationem (vs. 1060—1099) inprimis vs. 1061, 1080.

²⁾ A. P. c. 25, 1460, b, 34: Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἶους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοι εἶσι.

³⁾ Eadem ratione Ismenae opposuit poeta Antigonom in huius nominis traegocdia.

⁴⁾ Perdigna, quae conferatur, est Electrae Chrysothemidisque morum descriptio apud Westermayerum, l.l. pag. 65 et 66 et pag. 112 sqq.

etiam simulatum erga amicos amorem ac societatem cum hostibus initam exprobrat Electra. Respondet Chrysothemis sororis tantum salutis causa se haec monuisse: tyrannum enim et reginam, nisi querelis finem imponat, Electram in carcerem detrusuros. Quare ut mutet animum etiam atque etiam obsecrat. Frustra: sororem, iussu Clytaemnestrae (quippe somnio perterritae) inferias Agamemnoni missuram adhortatur Electra, ut comas potius suas cum ipsius crinibus cinguloque patri offerat. Quo dicto obsecutura ad patris tumultum se confert Chrysothemis. Mox laetitia elata redit: ipsum enim Orestem adesse, comas, flores, libationes in patris tumultu fusas se vidisse: quare sine dubio Orestem adesse quisnam abneget? Neque enim sibi aut sorori, nec matri hoc convenire.

Vultu immoto Orestem mortuum esse nuntiat Electra, quare ipsae rem aggrediantur. Spe omni destituta, animum demittit Chrysothemis: pro viribus vero sorori se adfuturam esse affirmat. Audito tamen Electrae consilio, ut Aegisthum morti dent, repudiat rem Chrysothemis et amore metuque exagitata omni modo sororem a proposito suo revocare studet. Quam cum iratam invictamque proposito stare animadvertat, saluti sororis timens tristi animo abit. Animi perturbatione Electra, amore Chrysothemis movetur.

Chrysothemidis persona magis Electrae figuram eminere atque exstare satis apparet. Timida, mitis, bonae spei plena, sororis amantissima illa; haec audax, severa, semper sibi constans, patris amantissima. Lubet, brevitatis causa, hic apponere sen-

tentiam viri elegantis et pulchri sensu valde insignis ¹⁾.

De *Agamemnone*, quamvis in huius nominis tantum tragoedia nobis ob oculos ponatur, pauca admonere volo.

Flammarum primum signo, mox praekonis reducis nuntio, Agamemnonis victoris reditus reginae populoque Argivo praesignificatur. Ecce advenit populorum rex, regio ornatu, gloriae felicitatisque splendore insignis, una cum Cassandra curru triumphali vectus et magna captivarum, praekonum militumque caetera stipatus. Monitis victorem excipit Chorus: multos enim esse mortales, quos „aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo aestumare, magisque voltum quam ingenium bonum habere” haud pudeat. Cui rex, Diis pro rebus feliciter gestis laudatis, experientia doctus, assentiri non dubitat, civiumque salutem sibi curae futuram esse significat. Regias aedes intrare paranti obviam it Clytaemnestra; regem illa ficto amore salutatur atque excipit, per pictos tapetes domum intrare iubet. At laudibus extolli abnuens Agamemnon tapetes calcare recusat, deorum invidiam reveritus:

λέγω κατ' ἄνδρα, μὴ θεόν, σέβειν ἐμέ.

Precibus tandem uxoris post levem altercationem obsequitur et divino quasi afflatu monitus:

¹⁾ *A. Westermayer*, pag. 66: »(Chrysothemis) ist ein Spiegelbild weiblichen Denkens und Empfindens in der normalen Entwicklung der Natur. Erst an dieser Folie erkennen wir so recht die männlich angelegte Natur Electra's, die sich vor allem als Tochter eines grossen Vaters fühlt.»

πολλὴ γὰρ αἰδῶς εἰμυτοφθορεῖν ποσσὶν
φθείροντα πλοῦτον.

Paulo post Agamemnonis intus letali vulnere percussi vox auditur.

Eo magis miseratione commoveri videmur, quo nobilem et fortem virum tam vili modo morti datum animadvertimus. Accedit quod summo studio Agamemnonis personam perficere studuit poeta. Quin etiam Homerum hac in re superare videtur. Consilio atque prudentia insignis, nominis fama clarus, rex regum, ad summum gloriae fastigium pervenisse videtur Aeschyleus Agamemnon. Bello fortis, domi quasi civium pater, iustus veritatisque amicus; simulata uxoris mens eum minime latet: sed fides suspicionem superat. Et qua ratione Chrysothemidis indole Electrae naturam explanari et quasi evolvi animadvertimus, eadem ratione Clytaemnestrae perfidia atque improbitate in maius extolli putamus regis nobilem et praecellaram indolem.

Sed — monet enim libelli ratio — ad ipsam *Clytaemnestram* veniamus.

Quam eum consiliorum non minus quam scelerum Aegisthi sociam finxerint tragici, ab hoc eam secernere haud expedire videtur.

Iure ἀνδρόβουλον γυναῖκα Clytaemnestram vocat speculator in *Aeschyli* Agamemnone; virili consilio ac summa protervitate illa insignis. Acgre fert mortem Iphigeniae atque inde odium in Agamemnonem primum suscipit; auget odium Aegisthus et, absente Agamemnone, frustra primum, mox blandis verbis reginae animum sibi conciliat. Tandem tyranni solum consiliis perficiendis inservit Clytaemnestra et

sui ipsius animi motu in errorem ducta inplacabili odio Agamemnonem prosequi incipit; caedem filiae patris tantum morte expiari posse putat; perpetrare igitur facinus horrendum decernit; nec vero ope aliena, immo sua ipsius manu morti dabitur Agamemnon. Se enim, uxorem atque matrem, maxima iniuria affectam esse pro certo habet. Vi cum nihil efficere possit, dolos struit: amorem, laetitiam simulat, laute Agamemnonem reducem excipit: suspicionis causam, quantulacumque est, tollere laborat. Ac nimis prospere ista artificia ei succedunt: nil doli subesse putans aedes intrat rex. Quo occiso simulationem deponit regina veramque naturam ostentans causas rationesque horrendi sceleris proterva fronte exponit. Iure se regem occidisse: filiam enim crudeliter cum mactasse et concubinam domum duxisse: iustas igitur poenas ab adultero se expectisse.

Iam rerum una cum Aegistho potita Orestem patria expellit Electramque dura conditione premit. Audito (falso) nuntio de morte Orestis, simulato dolore hanc calamitatem luget, tacita vero secum laetitia effertur Aegisthumque hac de re certiolem facere Cilissam, Orestis nutricem, iubet. Quem simulac ab Orestis manu iugulatum esse audivit, spe omni destituta et ultima experiri statuens, securim arripit nec inulta occidi decernit. Cum precibus nec minis Orestem a proposito suo abducere possit, diras filio suo imprecata trucidatur. Aegisthi igitur suaeque ipsius culpa perfidam duram, falsam, sceleratam Clytaemnestram fingit Aeschy-

lus. Aegisthus autem ignavus, timidus, perditus homo ¹⁾).

Iam videamus, qualem reginam nobis ob oculos ponat *Sophocles*.

Narrat Choro Electra matrem implacabili odio a se dissidentem ne tacitis quidem verbis querelas effundere sibi permittere; quibus cum, nimio afflicta dolore, indulgeat, statim maledicta in se congerere reginam. Quin etiam foras ire sibi non licere; diem, eheu! quo pater interfectus sit, quotannis festis sacrificiisque celebrare Clytaemnestram. Iphigeniae caedem caedis Agamemnonis ansam et causam prae-buisse reginam simulare ²⁾; re vera peccato suo deverticula sibi quaerere Clytaemnestram: quasi vero hisce artibus conscientiae stimulos evellere atque placidum sibi animum reddere possit!

Somnii portento perterrefacta angoribusque agitata, obscure vota fundit regina Apollini; precatur ut horrendo somnio faustum deus tribuat eventum seque prospera posthac fortuna frui sinat. Post, ubi Orestem in cursum certamine occidisse nuntiavit paedagogus, vix retinere laetitiam suam potest Electramque dolore oppressam acriter conviciis opprobriisque lacessit. Amorem maternum saepius in ipso ortu opprimit communemque naturae sensum

¹⁾ Risum movet sub finem Agamemnonis superbia intumescens tyrannus, Choro supplicia horrenda minans, nec vero quidquam efficiens.

²⁾ Veram caedis causam, incestum reginae erga Aegisthum amorem ac simul regni cupiditatem, Chorus hisce verbis significat, vs. 197:

δόλος ἦν ὁ φράσας, ἔρος ὁ κτείνας.

repudiat regina, simulatione et artibus non magis quam conscientiae stimulis exagitata atque exercitata.

Quod ad Aegisthum attinet, in hac tragoedia maiorem actionis partem abest; redeuntem, reginae mortem nihil curantem, immo suam ipsius salutem tantum cogitantem, ad necem rapit Orestes.

Aliam quamdam Clytaemnestrae indolem finxit Euripides.

Amat regina Aegisthum, sed ita tamen ut se matrem esse non plane obliviscatur. Hinc Electram iam antea Aegisthi furori eripuerat, hinc etiam eius miseras deinde luget et miseratur. Filiae parturientis dolores lenire properat gaudetque materno officio. Eadem quidem de causa, qua apud Aeschylum et Sophoclem, Agamemnonem trucidavit — Iphigeniae caedes regisque perfidia et adulterium odium implacabile ex amore pepererunt scilicet — attamen humanitatem prorsus non exuit:

καὶ γὰρ οὐχ οὕτως ἄγαν

χαίρω τι, τέκνον, τοῖς δεδραμένοις ἐμοί. (vs. 1105 sq.)

Inde fit, ut magis miseratione commoveamur matris amore, quam dominae odio flagrantis. Matrem amantem, uxorem perfidam, feminam denique sceleratam Clytaemnestrae persona nobis ante oculos posuit poeta ¹⁾).

Iam, gravissimarum personarum ²⁾ moribus expositis, restat ut pauca de singulorum poetarum ingenio et vi addamus.

¹⁾ Cf. quae supra sub finem Cap. III, § 1 disputavimus.

²⁾ De Chori cantibus, deque tertiarum partium personis infra disserendi locus erit.

Aeschylum igitur Diis et inferioribus numinibus multum tribuentem vidimus; inde fit ut divina quadam maiestate eius fabulae insignes sint; personarum vero moribus depingendis non tantum operae dare poterat quam Sophocles et Euripides; Chori enim longiores cantus huic rei impedimento erant. Moribus vero carere suas personas nemo facile contendet, sed maiorem iis operam dare potuisset poeta.

Res, unde singularum personarum ingenium et natura appareat, magis distinxit *Sophocles*. Animi humani, humanitatis denique, vim et naturam melius explicavit atque explanavit, quam Aeschylus et Euripides. Certe in animi affectibus depingendis dignus est *Euripides*, qui Aeschylo Sophocelique praefertur; facile vero primas tulit Sophocles, quippe qui verae naturae humanae singula atque propria magis persequatur.

Primum locum tenere mihi videtur Sophocles, secundum Euripides, tertium Aeschylus, sed ita tamen ut propius ad Euripidem eum accedere putares.

§ 3.

De locis pulchrioribus.

Diligenter lectitanti tragoedias nostras cum summae ratio atque morum descriptio, tum verborum et sententiarum lumina sub oculos cadant necesse est. Solabant enim poetae luminibus quodammodo et coloribus opera sua distinguere atque exornare; inde rerum sententiarumque ornamenta passim tragoediis

insparsa invenias. Quae singula afferre atque exponere quoniam longum esse videatur, quaedam tantum de locis insignioribus subiungere statuimus.

Accedit quod perpauca tantum loci comparationi instituendae aptiores sunt. Quare, hisce primo inter se locis comparatis, addere deinde quosdam, pulchritudine insignes, in animo est.

Admirabili quadam arte *Sophocles*, hisce in rebus facile princeps, mores animique affectus cum Electrae tum Orestis in ἀναγνωρίσει depinxit. Electram omnium calamitatum genere afflictam atque oppressam vidimus; eius varios per varios casus animi motus inque tantis rebus adversis indolis vim admirari coacti sumus: redit frater, sed virgo infelix eum non agnoscit, nisi hoc ipso temporis momento, quo urnam tenet, qua fratris cineres contineri arbitratur. Inde per ipsam agnitionem haud a tristitia, sed a desperatione ad summam laetitiam transgreditur. Quam laetitiam statim, metro mutato, poeta Electram carmine antistrophico exprimentem effingit, dum Orestis, iambico metro utentis, animi virilis constantia et tranquillitas, summa arte sororis eiulationibus opponitur. (vs. 1232—1287).

Longe aliter ἀναγνωρίσει *Euripidea* se habet.

Hic nulla vis, nulla suavitas adest, immo vero frigus quoddam languorque ἀναγνωρίσει inhacret. Chorus, praeter expectationem, magis quam Electra Orestis reditu gaudere videtur. Videntur vero frater et soror, dum Chorus cantat, laetitiae suae indulgere, ut patet ex Orestis, cantu finito, verbis:

εἶεν φίλας μὲν ἠδονὰς ἀσπασμάτων

ἔχω, χρόνῳ δὲ καύσις αἰτὰ δώσομεν. (Vs. 596 sq.)

Animi vero affectuum notatio eiusmodi est, ut fere miremur poetam audire, qui hac in re summa tenuitate excellere solet ¹⁾.

Contra *Aeschyli ἀναγνώρισις* proxime ad Sophoclis artem accedit.

Reperto in tumultu patris cincinnus, anxietate, spe et gaudio agitatur Electra; inde metus eam subit, ne patris inimicus cincinnum deposuerit Deosque precatur et sperat neque sperare audet; tum pedum vestigia denuo dubitationem spemque ei iniiciunt, adeoque variis animi motibus perturbatur, ut fratrem non agnoscat, immo eum sibi dolos struere suspicetur. Tandem Orestes vestem olim ab ipsa contextam ostentat, quo signo victa, laetitia insolenti ita effertur, ut frater ei monere cogatur, ut ab nimio gaudio se temperet, ne mente turbetur. In multis hac in re Aeschylus par est Sophocli, sed arte hic illum superat.

Digni porro, qui conferantur, sunt hi loci: Choeph. vs. 306—478, Soph. El. vs. 86—253 et Eurip. El. vs. 167—214. Electram ibi luctui indulgentem consolari conatur Chorus. Maiore vero arte *Aeschylus* hac in re Sophocli Euripidique antecellit, non tantum hanc ob causam, quod ipso scenae aspectu auditorum animos teneat poeta, sed multo magis hac re, quod vi tragica acque ac poëseos sublimitate hoc carmen exornaverit.

Orestem Electramque Agamemnonis tumultu insi-

¹⁾ Ipsi sibi viam eo obsaepsit Euripides, quod, Aeschylum deridendi causa, incredulam et sensu fere carentem Electram effinxit; cf. supra pag. 64.

dentes ac patris Deorumque auxilium precantes spectas; prope adstat Chorus. Luctu intentos consolatur Chorus, spe proposita, fore ut paternae caedis tandem aliquando poenas Orestes expetiturus sit. Iovem implorat atque obtestatur Orestes, ut

ἰστέροποιον ἔταν

mittat; ipse simul ultionem perhorrescit. Admonet iuvenem Chorus paternae caedis sororisque miserationum; ad Chori monita precesque se applicat Electra; miserabilem Agamemnonis mortem refert; tandem fratrem incitat ut ultionem paret. Electrae nimium dolorem animique remissionem sapienter monitis sententiisque temperat et moderatur, felicisque exitus spe proposita, eam erigit et eius precibus suas preces subiungit ¹⁾.

Addita Orestis persona plus efficere poterat poeta, quam Sophocles et Euripides. Augebatur hoc modo vis tragica; non solum enim dolores Electrae Chorique consolatio lectoris animum movent atque tenent, sed etiam Orestis preces, dubitationes, ultionis tandem consilia. Varietate non minus quam gravitate hoc carmen insigne est; totius fabulae argumentum eo contineri videtur: Agamemnonis memoria excitatur: narratur eius caedes: exponuntur quaecumque indignationem movere possint: futura significatur ultio, tecte primum, mox aperte.

Chori praesertim partes prudentissime distributae:

Orestes admonetur, erigitur, confirmatur, excitatur; Electra, dolore afflicta, animum recipit, bonam

¹⁾ Longum est totum Electrae Chorique colloquium apponere; quare attende sis animum imprimis ad vs. 332—339 et 340—344, vs. 363—371 et 372—379, vs. 405—409 et 410—417

spem concipit, fratrem denique ipsa stimulat et instigat. Animi postremo affectuum descriptione poseosque sublimitate totum carmen insigne.

Huic carmini cum Electrae Chori que apud *Sophoclem* colloquium ¹⁾ opponas, statim ab Aeschylei carminis ordinatione diversam poetae rationem nemo non perspicit.

Uti enim ille Oresti, ita hic Electrae primas dedit. Omni spe destitutam, irae et indignationi indulgentem, Chori denique solatia spernentem atque negligentem Electram finxit poeta. Bene sensit Sophocles totam sibi Electrae personam, siquidem summo studio auditores hanc amplecterentur (idque poetae propositum fuisse iam supra vidimus) initio statim tragoediae esse depingendam. Vehementer auditores permovere studuit poeta; nec frustra: evagatur, dolet, miseratur, imprecatur, furit Electra; malorum consolationem invenire nequit, accipere recusat. Patrem ulcisci nequit, sed eius fatum lugere potest. Hoc tantum quaerit, hoc unice delectatur. Miseratione metuque permovemur aspicientes miserrimam regis filiae conditionem.

Perdifficile mihi videtur, cum hoc carmen lugubre cum Aeschyleo cantu componas, aequum iustumque facere iudicium. Sua in arte uterque poeta palmam fert; attamen, ni fallor, sublimitate ac splendore Aeschyli, simplicitate ac veritate Sophoclis carmen insigne.

Iam veniamus ad *Euripidem*.

¹⁾ Argumentum supra (pag. 39 sq.) cum fusius exposuimus, hic rem repetere supervacaneum esse videtur.

Huius poetae carmen si recte aestimare quis velit, Electrae mores bene attendat necesse erit. Initio enim fabulae alii eius mores, alii in fine tragoediae. Animum primum despondens miseraeque, ad quam redacta est, vitae conditioni se submittens, mox, fratris audito nomine, ferox, ultionis tantum memor, quin etiam crudelis evasit. Advenit Chorus mulierum rusticarum Electraeque suadet ut ad Iunonis festum se conferat. Illa vero patris fatum lugere mavult nec sacris aut festis delectari potest. Aptè tum Chorus virginem miseram admonet ne querelis suis Deos infestos sibi habeat, sed eos potius precibus placare studeat. Recenset repetitque miseras suas Electra nec Chori consolationibus frui vult. Tristis et abiectus tum Chorus:

πολλῶν κακῶν Ἕλλησιν αἰτίαν ἔχει
 σὴς μητρὸς Ἑλένη ξύγγονος δόμοις τε σοῖς.

Omni spe destitutam virginem ad sollemnia ac sacra facienda invitat Chorus. Hac rerum inter se repugnantium consociatione usus est poeta, quo maiore misericordia auditores permoveret. Accedit elegantia quaedam ac suavitas, quae nec Aeschyli nec Sophoclis carmini inest. Ceterum hac in re hoc carmen ab Aeschyli Sophoclisque carminibus differt, quod hortatione magis quam solatione Electrae animum erigere Chorus conatur ¹⁾. —

Iam nonnullos pulchritudine insignes locos afferamus.

Gravis quin etiam horrenda illa in *Agamemnone*

¹⁾ Spe proposita Aeschyleam, monitis Sophocleam Electram consolatur Chorus.

scena Cassandrae et Chori (Vs. 1072—1342). Divino afflatu permota praesagit sacerdos obscure primum, mox apertius futura aedibus regiis sibi que ipsi imminet mala: querelas precesque fundit Apollini, ut ista avertat. Mox, adhortante Choro, ambages mittit Cassandra et clara ac haud ambigua oratione Agamemnonis caedem, suam deinde ipsius mortem, postremo regiae necis ultionem vaticinatur. Tum, ornatu sacerdotali abiecto, ad aedes accedit et:

ὦ πάτερ σοῦ σὼν τε γενναίων τέκνων.

Ch. τί δ' ἐστὶ χροῆμα; τίς σ' ἀποστρέφει φόβος;

C. φεῦ φεῦ.

Ch. τί τοῦτ' ἔφειξας; εἴ τι μὴ φρευῶν στύγος.

C. φάνεν δόμοι πνέουσιν αἰματοσταγῆ.

Ch. καὶ πῶς; τόδ' ὄζει θυμάτων ἔφρεστίων.

C. ὄμοιος ἀτμός ὥσπερ ἐκ τάφου πρέπει.

Ch. σὺ Σύριον ἀγλαίσμα δώμασιν λέγεις.

Repetit mali ominis augurium sacerdos:

ὦ ξένοι.

οὔτοι δυσοίζω θάμνον ὡς ὄρνις φόβω,

ἀλλ' ὡς θανούση μαρτυρεῖτε μοι τόδε,

ὅταν γυνὴ γυναικὸς ἀντ' ἐμοῦ θάνη,

ἀνὴρ τε δυσδάμαρτος ἀντ' ἀνδρὸς πέσῃ.

ἐπιξενόμην ταῦτα δ' ὡς θανουμένη.

Terroris quin horroris plena illa scena; ab Apolline acceperat Cassandra vaticinationis munus, sed illa deum amore flagrantem frustrata erat; inde nemo sacerdoti fidem habuit. Attamen non potest non vaticinari: a Deo cogitur. Summa vis tragica sacerdotis furibundae vaticiniis inest.

παπαί, οἷον τὸ πῦρ ἐπέρχεται δέ μοι.

ὁτοτοί, Δίκεϊ Ἄπολλον, οἱ ἐγὼ ἐγώ.

Aedes regias ingressura precibus orat Apollinem, ut ultorem sibi mittat. ¹⁾

Amabilitatis ac suavitatis plenus Chori cantus in eadem tragoedia, vs. 228—246. Cuius carminis elegantiam atque dulcedinem haud scio an, ipsis poetae verbis appositis, melius sensibus percipere possis.

λίπας δὲ καὶ κληδύνας πατρώου
παρ' οὐδὲν αἶωνα παρθενείον τ'
ἔθεντο φιλόμαχοι βραβῆς.
φράσεν δ' ἀόχοις πατὴρ μετ' εὐχὰν
δίκαν χιμαίρας ὑπερθε βωμοῦ
πέπλοισι περιπετῆ
παντὶ θυμῷ προνωπῆ

λαβεῖν ἀέρδην, στόματός τε καλλιπρόρου φυλακῶν κατασχεῖν
φθόγγου ἀρχίον οἴκοις,

¹⁾ Sunt qui, actionem huic scenae inesse, vehementer negarint; lubet, huic rei lucem afferendi causa, laudare sententiam viri tragicae artis legum peritissimi. „Die vorliegende Scene enthält fast nichts als Erzählungen und Gefühlsauslassungen, gethan wird weiter nichts als dass Cassandra vom Wagen herabsteigt und bis in die Thür des Königshauses geht, wobei sie ihres priesterlichen Schmuckes sich entkleidet. Und doch ist diese Scene durch und durch Handlung im dramaturgischen Sinne. — Wesshalb? Weil jene Erzählungen und Gefühlsauslassungen von der Art sind, dass die ganze leibliche Erscheinung Kassandras durch sie auf das heftigste ergriffen und bewegt sich darstellt: ein Weib, das von apathischer, monumentaler Ruhe durch alle Stufen der Entwicklung bis zum Wahnsinne, bis zur Raserei, bis zur prophetischen Extase hindurchgetrieben wird, um endlich mit sonnenklarer Begeisterung so hoch über alles menschliche Elend sich zu erheben, dass sie mit der edlen Gelassenheit eines Märtyrers in den Tod geht.“ *Oswald Marbach*, die Oresteia des Aeschylos, Leipzig, 1874. pag. 303; cf. sqq. pag. —.

βίη χαλινῶν τ' ἀναύδῳ μένει.
 κρόκου βαφὰς δ' ἔς πέδον χέουσα
 ἔβαλλ' ἑκάστου θυτήρων ἀπ' ὀμματος βέλει φιλοκίτῳ,
 πρέπουσά τ' ὡς ἐν γραφαῖς, προσενέπειν
 θέλουσ', ἐπεὶ πολλάκις
 πατὴρ κατ' ἀνδρῶνα εἴτραπέζου
 ἔμελψεν. ἀγυῆ δ' ἀτάρωτος αἰδῆ πατὴρ
 φίλου τριτόσπουδον εὐποτομον
 παιᾶνα φίλῳς ἐτίμη.

Ibid. vs. 717—736 Chorus Helenam cum leone comparat, quae comparatio naturae veritate non minus quam simplicitate se commendat.

In *Choephoris* attendas, quaeso, animum ad Orestis orationem (vs. 973—1006), quae, allatis Aegisthi Clytaemnestraeque cadaveribus, ostenso in quo Agamemnon interfectus fuerat vestimento, Apolline cunctoque Argivo populo testibus adhibitis, imminentibus denique materni sanguinis Furiis, magnam in scena vim habuisse videtur.

Sedulae providaeque nutricis imaginem refert Cilissa (vs. 734—782). ¹⁾ Bona, fidelis, garrula femina est, sed eadem vetula tardi ingenii ac modestae obedientiae.

Laude etiam dignissima illa scena Orestis Cly-

¹⁾ Recte et vere O. Marbach, II. p. 340: In Kilissa führt uns Aeschylus (wie auch im Wächter auf dem Dache des Atreidenhauses) eine den niedern Gesellschaftskreisen entnommene Person vor, welche so scharf individuell gezeichnet ist, wie z. B. die Amme der Julia von Shakspeare. Et mox: Nicht bei Aeschylus, sondern erst bei Sophocles begegnen wir jenen »Boten,“ welche (— zuweilen, nicht immer —) epische Schilderungen vortragen, in denen weniger ihre eigene Individualität, als die des Dichters Ausdruck findet.

taemnestraeque (vs. 885—930); matrem necare haesitat filius, securi armata stat mater; mox vero animo cadens filii misericordiam pietatemque implorat; commovendis capiendisque auditorum animis aptissima illa scena.

Iam vero in Eumenidibus *Ἐμνὸς δέσμιος* terrore ac horrore nos afficit (vs. 321—396).

Argumentum supra (pag. 33) explanavimus, sed ipsum carmen evolvas necesse erit, siquidem quodammodo sensibus scenae atrocitatem aspectusque foeditatem percipere velis. ¹⁾

¹⁾ Operae est pretium summi Germaniae poetae, *Schillerum* dico, evolvere carmen, cui titulus: »*Die Kraniche des Ibycus.*» Hasce tantum strophas apponere volo:

Und schauerlich, gedrcht im Kreise,
 Beginnen sie des Hymnus Weise,
 Der durch das Herz zerreizend dringt,
 Die Bande um den Frevler schlingt.
Besinnungraubend, herzbethörend
 Schallt der Erinyen Gesang,
 Er schallt, des Hörers Mark verzehrend,
 Und duldet nicht der Leier Klang:

»Wohl dem, der frei von Schuld und Fehle
 Bewahrt die kindlich reine Seele!
 Ihm dürfen wir nicht rächend nahn,
 Er wandelt frei des Lebens Bahn.
 Doch wehe, wehe, wer verstorhen
 Des Mordes schwere That vollbracht!
 Wir heften uns an seine Sohlen,
 Das furchtbare Geschlecht der Nacht.»

»Und glaubt er fliehend zu entspringen,
 Geflügelt sind wir da, die Schlingen
 Ihm werfend um den flücht'gen Fusz,
 Dasz er zu Boden fallen musz.

Sequitur Eumenidum cantus (vs. 490—565; cf. imprimis vs. 553—565) pulcherrimus. Animi affectus vehementer hisce cantibus mihi excitari videntur. Sensim paulatimque τραγική illa κάθαρσις in mentem auditoris acque ac lectoris irrepere videtur. Auget porro auditorum intentionem illa Eumenidum placatio atque reconciliatio, augent pompa illa et (ut paucis dicam) tota illa felix tragoediae exitus.

Iam pauca de Eumenidum natura atque indole addere necessarium videtur.

Consilium poetae hoc fuisse ex rerum compositione apparet: quas primum κηταπίστους κόρας (vs. 68) finxit, eas gradatim εὐφρονας καὶ σεμνάς (vs. 991) fieri voluit. Nec sine causa: Graeca enim ars nunquam Furias foeda turpique imagine effinxit: pulchri enim sensus hoc vetabat ¹⁾. Poeseos autem hoc est munus, ut haud totum et quasi omnibus partibus absolutum quid ponat, immo vero qua via ac ratione quid fiat, depingat. Et hanc artis legem bene servavit poeta in Orestia sua ²⁾.

Iam transeamus ad *Sophoclis Electram*.

Pulchritudine insignis, excepto fabulae fine, tota haec tragoedia. Supra Chori consolationem (vs. 86—253) memoravimus; Electrae quoque Chrysothemidisque indoles (pag. 77 et 80 sq.) explanavimus.

Iam vs. 804—870 animo perlustremus. Omni de-

So jagen wir ihn, ohn' Ermatten,
Versöhnen kann uns keine Reu',
Ihn fort und fort bis zu den Schatten
Und geben ihn auch dort nicht frei."

¹⁾ Cf. Lessingii Laocoon, Cap. II.

²⁾ Cf. O. Marbach, l.l. pag. 408, Anm.

stituta spe Electra cari fratris mortem luget omnique
vitae amore extincto mortem tantum exoptat.

*μόνη γάρ εἰμι, τοῦ τ' ἀπεστερημένη
καὶ πατρός*

et mox:

τοῦ βίου δ' οὐδεὶς πόθος.

Oratione in partes minutas concisa pulcherrime in
sq. versibus Electram nullum solatium admittentem
depinxit poeta. Accedit metri vis ¹⁾; Electrae hac
in scena solitudo auxiliique inopia Chorique vana
solatia tragicam vim magnopere augere videntur.

Vere cothurno digna et quasi monumentum artis
Sophocleae est cantus lugubris Electrae, vs. 1126—
1170. Veteribus in deliciis erant illi versus; nec
mirum: affectuum enim et altitudine et veritate ad
miserationem excitandam aptissimi sunt. Urnam,
Orestis reliquias continentem, manibus tenet Electra;
iam tota illa soror; suarum ipsius miseriarum oblita
fratris tantum miserias cogitat.

„Tibi utinam mea certe ipsius manu iusta persol-
vere potuissem!”

At vero:

*αἶχεται πατήρ,
τέθνηκ' ἐγὼ σοι, φροῦδος αὐτὰς εἰ θανάω'*

Sequitur agnitio, de qua modo disserui. Conspecto

¹⁾ Choriambis usus est poeta vs. 823—835 et 836—848.
In (dieser) ersten Strophe herrschen die gewichtigen Chori-
amben vor, deren Ausgänge durch das Zusammenstossen
von Längen den herben Schmerz ausmalen, *G. Wolff*, *Electra*,
Leipzig, 1872, pag. 74. — In secunda strophā trochaeis, iambis,
anapaestis usus est poeta, Chori monitis Electraeque omnium
rerum desperationi aptissimis, cf. *G. Wolff*, l.l. pag. 77 et
A. Westermayer l.l. pag. 96 sqq.

paedagogo, maiore etiam gaudio effertur Electra (vs. 1354—1364) precesque supplices (vs. 1377 sqq.) fundit Apollini pro tanta rerum insperata immutatione.

Horroris plena illa Clytaemnestrae caedis scena (vs. 1397 sqq.), horrenda Electrae mens ferrea.

Sufficiant haec de Sophoclis Electra atque animum attendamus ad *Euripidis Electram*.

Cantu vere lugubri querelas fundit Electra, vs. 112—166. Terrore vero mihi magis quam miseratione auditores suos tenere videtur poeta. Verbis rem exasperare atque in maius extollere studet. Excusationem quodammodo dat miserima ac humillima regis filiae conditio.

Pulchrior sequens Chori Electracque cantus (vs. 167—214) de quo supra egimus.

Longiore oratione (vs. 302—340) Electra Choro Orestique rerum urbanarum statum atque suam ipsius miseram sortem explicat. Reginae tyrannique luxuriam ac lasciviam apte poeta Electrae egestati opponit.

Sequitur Chori cantus (vs. 432—486) poeseos elegantia aequae ac suavitate insignis. Clypei Achillis descriptio (quam cave Homericae descriptioni componas) perpulchra.

Chori summam de reditu Orestis laetitiam commode et apte verborum repetitione poeta expressit. Maiore exsultat gaudio Chorus quam ipsa Electra:

Ch. ἔμολες ἔμολες, ὦ χρόνος ἀμέρα,
κατέλαμψας, ἔδειξας ἐμφανῆ
πόλει πυρσόν, δε παλαιᾶ φυγᾶ
πατρίων ἀπὸ δωμαίων
τάλας ἀλαίων ἔβα.

Θεὸς αὖ Θεὸς ἀμετέραν τις ἄγει,
 νίκαι, ὦ φίλα.
 ἄνεχε χέρας, ἄνεχε λόγον, ἴει λιτὰς,
 λιτὰς ἐς Θεοῦς, τύχῃ σοι τύχῃ
 κασίγνητον ἐμβατεύσαι πόλιν. (Vs. 585—595.)

Sacrificii accuratam et elegantem descriptionem praebet Nuntii narratio (Vs. 774—858). Cuncta tam tam vere expressa sunt, ut rei agenda interesse tibi videaris. Maiestatis quodam ac sollemnitatis sensu insignis illa Aegisthi caedes. Securus tutusque ferit tyrannus victimam atque exta inspicit, quae infelicem rei eventum ei portendunt. Adest Orestes, paternae caedis ultor: poscit securim ac *suam* victimam ad aram ferit. Ipsi coram Diis res agi videtur.

Parum cothurno digna est Electrae oratio (vs. 907—956), qua mortuo Aegistho scelera sua exprobrat. Furit ac simul philosophatur Electra ridiculo modo; foedissimus praeterea ille aspectus nec quod habeat excusationis video.

Pulchritudine contra et tragica vi insignis tota illa filiae ac matris scena (vs. 998—1146); in qua, sive uxoris crudelis maternum amorem spectaveris, sive virginis constantem ac immotam indolem attenderis, nihil fere reprehendas.

Laude quoque dignissima illa scena, in qua sceleris horreni poenitentiam agunt Orestes et Electra. Ultimo denique loco Electrae Oresti valedicentis animi affectus pulcherrime hoc modo depinxit poeta:

El. *περὶ μοι στέρνοισι στέρνα πρόσαψον,
 ξύγγουε φίλτατε
 διὰ γὰρ ζευγυῖσ' ἡμᾶς πατρῶων
 μελάθρων μητρὸς φόνοι κατάραι.*

Or. βάλε, πρόσπτυξον σῶμα' θανόντος δ
ὡς ἐπὶ τύμβῳ καταθήρησον.

Or. οἰκέτι σ' ὄψομαι.

El. οὐδ' ἐγὼ ἐς τὸν βλέφαρον πελάσω.

Or. τάδε λίσσθιά μοι προσφθέγματά σου.

El. ὦ χαῖρε, πόλις,
χαίρετε δ' ὑμεῖς πολλὰ, πολίτιδες.

Or. ὦ πιστοτάτη, στείχεις ἤδη;

El. στείχω, βλέφαρον τέγγουσ' ἀπαλόν. (Vs. 1321 sqq.)

CAPUT IV.

Appendix de Electra tum Sophoclis tum Euripidis.

Edidit atque Germanice reddidit ante hos sex annos vir doctissimus et unus ante alios subtilitate valde insignis ¹⁾ Sophoclis *Electram*. Praefatione satis longa (206 pag.) hunc libellum instruxit, in qua aliam prorsus ac novam plane sententiam de nostra tragoedia protulit. — Permultos in *Electra* versus interpolatori cuidam (Iophonem dico) tribuendos esse putat ²⁾; argumentis autem utitur hisce: „*Electrae* culpa eo gravior, quo *Aegisthi* *Clytaemnestraeque* indoles ad humanitatem propius accedentes finxerit poeta; inde *interpolator*, versibus subiectis, contrarium (paene dixeris) effingere studuit; *Electram* is iure agentem, tyrannum vero reginamque iustissima dignos poena fingi oportere putabat.”

Igitur, auctore *Schoellio*, *Clytaemnestra* atque *Aegisthus* mitiores ac minus gravi poena digni ³⁾; contra *Electra* hoc ipso saevior et maiore digna poena. Hoc igitur petiisse *poetam*, hoc *poetae* propositum fuisse, contendit vir doctus; quae autem huic rerum

¹⁾ *Adolf Schöll*, *Sophocles' Werke* verdeutscht in der Versweise der Urschrift und erklärt, Stuttgart, 1857—1868. Huius operis particulis 21—27 *Sophoclis Electra* continetur.

²⁾ Eiecit, ni fallor, *Schöllius* 615 versus! Tota autem *Electra* continet 1510 vs.

³⁾ Cf. l.l. Einleitung, p. 23 sqq.

rationi atque expositioni repugnent, spuria atque *interpolationi Iophonleae* tribuenda esse vehementer affirmat.

Sed paullo altius rem repetere lubet; recte ac vere monet Schoellius ¹⁾ tragicorum poctarum propinquos cognatosque partim stirpis auctoris, partim suas ipsorum fabulas egisse, neque abest suspicio, quin ipse Iophon patris tragoedias emendarit atque recensuerit; *certa* vero veterum testimonia desunt. Hoc quoque non nego, pluribus locis interpolatoris cuiusdam frigida atque inepta additamenta inhaerere; attamen non video, quam ob causam tragoediae fabulae rationem alio prorsus modo exposuerit Sophocles ac Aeschylus et Euripides. Vidimus supra quibus rebus Sophocles in rerum expositione ab Aeschylo et Euripide discrepet. Electrae vero culpam graviorem fingere voluisse poctam eo, quod Aegisthum Clytaemnestramque mitiore indole ornaverit, credere non ausim. Uti laude dignissimam copiosam viri docti disquisitionem habeo, ita textum pulcherrimum concisum atque discissum non probo.

Allatis *Wolffi* ²⁾ et *Schneidewinii* ³⁾ iudiciis (quibus maximam partem assentior) haec habet *Schoellius* ⁴⁾: „Wäre das die Tragödie des Sophokles, so wäre sie musterhaft schlecht. Die Ausübung auch der unbestreitbarst gerechten Iustiz über so ganz ruchlose

¹⁾ L.l. *Antigone* (partic. 7—10), Einl. pag. 66—82; cf. *K. O. Müller*, l.l. II pag. 185 sqq. (inpr. p. 187).

²⁾ *Sophokles' Electra*, Teubner, 1872, pag. 131 sqq.

³⁾ *Sophokles' Electra*, Weidmann, 1869, pag. 25 et 27. Cf. etiam *K. O. Müller*, l.l. II, pag. 122.

⁴⁾ L.l. Einl. pag. 16.

verabscheuungswürdige Menschen, für die man, wie Schneidewin und Wolff wiederholt versichern, nicht das geringste Mitleid empfinden kann, ist schon in der Wirklichkeit unfähig, eine tiefe Befriedigung oder sittliche Erhebung zu geben." Et mox: „Hat Unmütterlichkeit die ungescheute Bethätigung der Unkindlichkeit hervorgerufen, so hat ein Böses das andre erzeugt — und darin sollen wir den unbestrittenen Sieg des Rechtes und der Ordnung feiern?“

Certe, opinor, dummodo suis tragoediam antiquam legibus aestimes; minime vero hoc petiisse mihi videtur Schoellius. Tragoediam nostram cum aequae ac sine ira et studio, duce Aristotele, quis aestimet, multa laude, pauca reprehensione digna habebit. Personarum mores aut necessitati aut verisimilitudini congruentes. Ne regina quidem perdita prorsus femina ¹⁾; Aegisthi tantum persona mihi (fateor) cothurno parum digna esse videtur; neque lucem affert poetae consilium, qui omnia fere ad Electrae personam retulerit. Utut est, nisi *αι δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι* meliora ac certiora me doceant, aedificium (pace viri docti dixerim) admirari malo quam stupere rudera ²⁾.

¹⁾ Cf. vs. 770.

²⁾ Admonet hoc me *Westermayeri* (l.l. pag. 180 sq.) disputationis: »Wie jedes Ding hat auch die tragische Verwicklung Ursprung, Wachsthum, Gipfelpunkt, Verfall und Ende; die dramatische Composition gestaltet diese Phasen zu den Acten der Exposition, der Steigerung, des Höhenpunktes, der Umkehr und der Katastrophe. Indem wir das Drama aus diesem Gesichtspunkte betrachten, zerlegen wir es folgendermassen:

Iam ad *Euripidis Electram* transeamus.

Fuerunt qui summa iniquitate huius tragoediae

-
1. Act 1—323;
 2. » 324—660;
 3. » 661—870;
 4. » 871—1398;
 5. » 1399—1510.


Eine Vergleichung dieser Acte lässt jeden einzelnen als zweitheilig erkennen — nicht als ob jeder Act formell in zwei Scenen zerfiel (vielmehr umfasst der 1. und 4. drei, der 5. sogar vier Scenen), sondern der *Gedanke* ist ein zweitheiliger.

Die *Exposition* befasst sich mit den Verhältnissen ausserhalb des Hauses, soweit sie mit der dramatischen Handlung in Zusammenhang stehen, und mit dem Leben innerhalb desselben; ausführlich wird diese Seite im Monologe und im Zwiegespräche ausgeführt, und letzteres sowohl als Kommos wie in der Form des dramatischen Dialogs behandelt. So mannigfaltig also die Form ist, so ist der Gedanke doch nur ein doppelter. Ebenso verläuft die *Steigerung* in zwei sich steigernden Scenen. Der Act des *Höhepunktes* zeigt in dem einen seiner beiden Auftritte den Eindruck der Todesbotschaft auf die Königin, der andere beschäftigt sich in gleicher Richtung mit Elektra. Von den drei Scenen des *vierten Actes* bilden die beiden letzten (loge: *ersten*, sc. vs. 871—1059 et 1060—1325) ein zusammengehöriges Ganzes: der zehnte Auftritt ist die Ergänzung und der Abschluss der Erkennungsscene (vs. 1326—1383). Endlich sind die vier Scenen der *Katastrophe* durch Inhalt und Form (1398—1423 | 1424—1441 et 1442—1465 | 1466—1510) als paarweise zusammengehörig gekennzeichnet, und so ist auch dieser Theil sichtlich dichotomisch gebaut.

Bei dem aufstrebenden und niederfallenden Charakter der Tragödie möchte sonach das vorliegende Drama also in seiner architektonischen Gestalt zu versinnlichen sein:

virtutes aequae ac vitia aestimarint ¹⁾; nec mirum: plurimum enim Euripidis ratio a Sophoclis Aeschylisque rerum compositione discrepat; quare ex sua persona ac ratione si quis singulos poetas, salvis tragodiae antiquae legibus, iudicet haud multum a vero et aequo is mihi abesse videtur. Habet praeterea Euripides singula quaedam ac propria et sua: prologis, diis ex machina, sententiis philosophis utitur. Earum igitur rerum rationem habere necesse est.

Prologis nulla tragoedia carebat: variis vero modis argumentum tragoediae rerumque statum poetae tangere solebant; primum Aeschylus in *Choephoris* *Orestis* precibus satis rem indicat; in *Agamemnone* et *Eumenidibus* excubitoris atque *Pythiae* orationibus auditores poeta de fabulae argumento certiores facit. *Vulcanus* et *Robur* colloquentes *Promethei* *Vincti* argumentum exponunt: quae ratio Sophocli frequen-



Perdignae, quae perlegantur, sunt sqq. paginae 182—195.

¹⁾ *A. G. Schlegelii* et *G. Bernhardyi* iniqua iudicia affert et optime refutat *J. Minckwitz*, *Electra*, 1865, Einl. p. 4—6 et p. 35 sqq. Ipse vero mihi *Clytaemnestrae* mores non satis plane ac integre exposuisse videtur, *ibid.*, p. 29 sq.; cf. supra pag. 71 et 86.

tata fuit. Eiusmodi est Sophoclis Electrae, eiusmodi Antigonaë, Philoctetis, Oedipi Regis initium.

Ipsæ suam rationem Euripides apud Aristophanem (Ranae, vs. 946) hisce verbis exponit:

ἀλλ' ὄξυων πρῶτιστα μὲν μοι τὸ γένος εἶπ' ἂν εὐθὺς
τοῦ δράματος.

Praemittit poeta actorem (homo is, vel deus aut heros) qui tamquam genealogus longum a Diis inde stemma repetere solet; rerum statum is, quin etiam summam tragoediae exponit. Maiore arte Sophoclis Aeschylisque rationes insignes. Qui, ipsa rerum compositione, praemissas res explicare atque amplificare studebant, quo magis auditorum intentio augetur. Dat sane excusationem Euripidis consilium, quippe qui, rerum statu et exitu indicatis, omne studium ad animi affectus depingendos conferret. Rerum vero convenientia atque concinnitas hac ratione diffuit atque fere evanescit. Ratione enim et via haud actio procedit. ¹⁾

Deum ex machina adhibere, auctore Aristotele, minime oportet: τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν (A. P. c. 15, 1454, b.). — Cum vero ex ipsa rerum compositione nodum solvere non posset poeta, hoc artificio uti debebat. Plura enim animi affectuum descriptioni dare solebat, quam ut nodum arte institutum arte expedire atque solvere posset. ²⁾ Quare, si Electram Euripidis ad antiquae tragoediae leges aestimes, rerum dispositionis per-

¹⁾ Nimis humanum et mite de Euripideis prologis iudicium ferre mihi videtur *Lessing*, Hamb. Dramat. c. 48.

²⁾ Eadem de causa in Philoctete deum ex machina adhibuit Sophocles, cf. *K. O. Müller*, l. l. II, p. 131 sqq.

petuitatem et cohaerentiam obrutam (paene dixeris) atque quasi comminutam animi affectuum descriptionis tenuitate et pulchritudine videas necesse erit.

Nec sine causa id fecit poeta; alia enim sua aetate Graecae artis, alia Graecarum rerum conditio. Eo fiebat, ut suo poeta tempori quodammodo servire ac cedere deberet. Labente aetate, dilabebatur ars Graeca. ¹⁾

Restat ut pauca de *sententiis philosophis* disse-ramus.

Eas passim nostrae tragoediae insparsas invenias. ²⁾ Illudit huic poetae studio Aristophanes (Ran: vs. 954 sq.) Nec immerito: morantur enim non solum philosophae illae digressiones actionis decursum, sed etiam concentum singularum partium facile turbant; saepius etiam risum movent.

Haec de Euripidis ratione sufficiant. Qui, etsi in pluribus tragicae artis leges neglegat quin violet, in multis certe laudè dignus est. Nam sermo poetae, quamquam ab Aeschylei cothurni magnificentia et ab ingenioso Sophoclis artificio aliquantum discrepat, simplicitate, interdum etiam sublimi quadam audacia, postremo suavitate ac nitore insignis est. Egregium deinde artificem in depingendis affectibus tam lenibus quam vehementer concitatis hisce verbis merito laudat Aristoteles: ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατος γε τῶν ποιητῶν φαίνεται. ³⁾

¹⁾ Cf. pulchram antiquae ac recentioris artis comparisonem apud C. Vosmaer, Vogels van diverse Pluimage, I, pag. 183 sqq. Quam, chartae parcendi causa, invito quamvis animo, laudare non licet.

²⁾ Vs. 295 sq., 367—379, 426—431, cet.

³⁾ A. P. c. 13, 1453, a. 29.

CAPUT V.

Epilogus.

Aliud antiquae, aliud recentioris tragoediae munus.

Primo loco, ut vidimus, actionem, secundo mores posuit Aristoteles.

In recentiore vero tragoedia (Shakespearianam dico) artiore vinculo mores cum actione coniunguntur. Morum singula ac propria uti magis implicita, ita magis distincta sunt atque verae humanae naturae varietati magis congruunt; varior inde et rerum plenior actio ¹⁾. Choro deinde recentior tragoedia caret ²⁾. Accedit, quod iocus ac facctiae ³⁾ vim tragicam aequè moderantur ac augent.

Lubet perspicuitatis causa apponere verba viri docti nostratis ⁴⁾: „Het ware gebied van 't nieuwere Tooneeldicht is (echter) de naakte, maar karaktervolle werkelijkheid van 't dagelijksche leven en de geschiedenis. Met doortastende scherpte legt het

¹⁾ Cf. *Otto Ludwig*, l. l. p. 476 sqq.

²⁾ Conatus est *Schiller*, Choro adhibito, in Graecam redigere formam tragoediam suam, cui titulus: »die Braut von Messina»; ipse vero operam se perdidisse confitetur. Cf. *Schiller's Werke*, Berlin: Grote, 1872: Einl. zum Wilhelm Tell, pag. 5 et Einl. zur Braut von Messina, pag. 10 sqq. Cf. *J. van Vloten*, *Aesthetika*, II, pag. 275.

³⁾ De facetiis Shakespearianis, cf. *Otto Ludwig*, l. l. p. 104 sq.

⁴⁾ *van Vloten*, *Aesthetika*, II, pag. 273 sq.

daarbij al de volheid en rijkdom van 's menschen inwendige wereld, in tal van de meest verscheiden personen en karakters, bloot. Evenals de nieuwere Toonkunst door de volle ontwikkeling der harmonie, werkt het nieuwere Tooneeldicht door zijn rijkdom van personen. Het wil den hoofdtoon als in den meest verscheiden weérklank hooren, dezelfde gevoelsbeweging meer verschillend gewijzigd, en in verscheidenheid van gevallen werkzaam zien. En naarmate de handeling daardoor bonter is, moet zij noodwendig ook meer ingewikkeld zijn, en zal de meerdere verwickeling van den knoop aan die der karakters beantwoorden. Uit dezelfde karakterverwickeling spruit ook de toenemende inmenging der scherts in 't treurspel voort; hoe verwikkelder toch de karakters, hoe veel krachtiger ook hun persoonlijke en onderlinge tegenstelling, tot in 't lachwekkende toe, uitkomen zal."

In antiqua tragoedia Fatum primarum partium personam agitat ac caeco impetu pessum dat. Non ita Shakespaerius: suo ipsius naturae vitio et rerum concursu ac vi ad perniciem ruit fortis acque ac ignavus homo. ¹⁾

¹⁾ *H. Hettner*, (cf. *W. Doorenbos*: Handleiding tot de Geschiedenis der letterkunde, II, pag. 168, Aanm. 2) de Fato Shakespeariano haec habet: »Shakspeare ist, wie Friedrich Vischer mit Recht gesagt hat, immer und doch niemals religiös: Shakspeare's Grösse ist seine reine und freie Menschlichkeit. Nirgends ist bei ihm auch nur die leiseste Spur von dem Unmittelbaren Eingreifen eines überweltlich wunderthätigen Gottes: bei ihm ist der Mensch immer ganz auf sich selbst gestellt. Das menschliche Gemüth, der Zusammenstoss

Hisce maxime rebus ab antiqua recentior tragoedia discrepat. Cave vero vitiis carentem atque perfectam recentiorem tragoediam esse putes; quam cum antiquae tragoediae opponas, incultae saepius insulsi tati aetatis cedere atque servire animadvertis.

Haec de hac re sufficiant; generatim enim ac summatim differentiam, quae inter antiquam et recentiorem tragoediam intercedat, tangere in animo erat.

Iam pauca addere lubet de nostrae aetatis tragoediae conditione.

Nostra in patria ars tragica friget ac fere neglecta iacere videtur.

Accedit quod ipsi poetae, quae huiusmodi carmina conscripserint, indigna atque vitiosa habebant ¹⁾.

Germaniae certe summi poetae (Goethium et Schillerum dico) in Graecam redigere formam tragoediam recentiorem conati sunt. Quae res, quam sit difficilis, ipsi viderunt ²⁾. Attamen:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

der menschlichen Leidenschaft und Thatkraft mit der unerschütterlichen Vernunft und Nothwendigkeit des sittlichen Weltordnung, ist das tragische Schicksal. Shakspeare ist der Begründer und der vollendeste Meister der Charaktertragödie."

¹⁾ Ipse *Bilderdijkius* de se haec confitetur: »Treurspelen schrijven is in het geheel mijne zaak niet." Cuius rei causas ipse quoque affert: cf. *Jonckbloet*, *Gesch. der Nederl. letterkunde*, 1874, II, pag. 436. Ne *Vondelio* quidem (si altius rem repetas) huius artis vere colendi facultas aderat; *ibid*, pag. 115 sqq.

²⁾ Cf. *Philipp Mayer*: »die Iphigenien des Euripides, Racine und Goethe" in opere suo, quod inscribitur: *Studiën zu Homer, Sophokles, Euripides, Racine und Goethe*, Leipzig, 1874.

Nostra autem aetate necesse videtur tragoediae ratio haec sit: recentioris tragoediae ad naturam accommodata varietas coniuncta dignitati ac temperantiae tragoediae antiquae.

Finem libello imponam hisce viri doctissimi ¹⁾ verbis:

„Voor het Treurspel onzer dagen heeft Vischer (Aesthetik, S. 1417) te recht den dichttrant van Shakspere tot richtsnoer gesteld, door de levensvolle en vrije studie van dien der Grieksche Oudheid gelouterd. De krachtvolle persoonlijke karakterschepping, de treffende rijk geschakeerde uitdrukking van 't dramatisch gevoel, de zielkundige opvatting en ontwikkeling van den hartstocht, de zinrijke voorstelling der menschenwereld, gelijk die bij Shakspere gevonden worden, zonder de achteloosheid zijner samenstelling, de gezwollenheid hier en daar van zijn uitdrukking, de overdrijving en wansmaak van zijn eeuw. De harmonische helderheid van stijl en adel van kunstvorm, de boeiende eenheid van handeling, van 't Treurspel der Ouden, zonder hun beperking in plaats en tijd, hun als aangehecht koor, hun te algemeene voorstelling en noodlottige strekking.”

¹⁾ Van Vloten, l.l. pag. 278; cf. Otto Ludwig, l.l. p. 427 sqq. et C. Vosmaer, Vogels van diverse pluimage, I, pag. 183—190.

T H E S E S.

1.

In Literis tractandis elegantiae doctrina non minus quam arte critica opus est.

2.

Pulchri atque decori sensus, quo Graeci ceteris populis antecellunt, penitus imbuatur necesse est, si quis in excolendis Literis nostris fructuosam operam collocare velit.

3.

Necesse est doctrina de rerum elegantia in maius crescat.

4.

Non satis aequè de Euripidis Electra *Dalius*:
„With many strokes of true pathos, and occasional

passages of real sublimity, it combines a puerile simplicity, which will sometimes excite laughter, and sometimes create disgust."

(F. H. M. Blaydes: the Electra of Sophocles, 1873, Introduction, pag. 5.)

5.

Hom. II. VI, 479:

*καὶ ποτὲ τις εἴπῃσι πατρός γ' ἔδρα πολλὸν ἀμείνων
ἐκ πολέμου ἀνιόντα.*

Lege *εἴποι*.

6.

Hom. II. XIX, 95:

*καὶ γὰρ δὴ νῦ ποτὲ Ζεὺς ἄσατο, τὸν περ ἄριστον
ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν φασ' ἕμμεναι*

Lege *Ζῆν' ἄσατο*. — ἀνδρῶν κ. τ. λ. corruptum esse videtur.

7.

Aesch. Choeph., vs. 582:

*κάγω, πάτερ, τοιάυδε σου χρεῖαν ἔχω,
φυγεῖν μέγαν προσθείσαν Αἰγίστω —*

Supplet Hermannus: *φθέρου; velim cum Engero: πόνου.*

8.

Soph. Electra. vs. 795:

οἰκοῦν Ὀρέστης καὶ σὺ παύσεται τάδε.

Pro *οἰκοῦν* lege *οἶκ' οἶν*.

Ibid. vs. 1422 sq.:

Ch. καὶ μὲν πάρεσιν εἶδες φρονία δὲ χεῖρ
στάζει Φηλῆς Ἄρεος, εὐδ' ἔχω ψέγειν.

Hos versus cum Mss. *Electrae* tribuo.

Aesch. Eumen. vs. 567:

κήρυσε, κήρυξ, καὶ στρατὸν κατειργασθῶ,
εἴτ' οὖν — — διάτορος Τυρσηνικῆ
σάλπιγγος κ. τ. λ.

Pro εἴτ' οὖν — — scribe χαλκόστομος τε.

Soph. O. R. vs. 1298:

ὦ δεινότατου πάντων ὅσ' ἐγὼ
προσέκυρσ' ἤδη.

Probo Herwerdeni emendationem: ὅσ' ἐμοί.

Soph. Philoct. vs. 1448:

καγὼ γνώμην τάττη τίθεμαι.

Scribe τάττην.

Ibid. vs. 228:

ἔρημον ὧδε κἄφιλον καλούμενον.

Suspicio: κἀλώμενον.

Soph. Oed. Col. vs. 47:

ἀλλ' οὐδ' ἐμοί τοι τοῖξαιιστάνκι πόλεως
δίχ' ἔστι θάρσος, πρὶν γ' ἂν ἐνδείξω τί δρῶ.

Cum Herwerdeno legendum est: σ' ἐξαιιστάνκι et
παρών (pro τί δρῶ).

Soph. Trach. vs. 366:

καὶ νῦν, ὡς ὄραε, ἦκει δόμουε
ὡς τοῦσδε, κ. τ. λ.

Pro ὡς scribe ἐς sive πρόε.

Aesch. Agam. vs. 105:

ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνεῖει
πειθῶ μολπᾶν
ἀλκᾶ σύμφυτος αἰὼν

Malim cum Dindorfio: καταπνεῖ μου.

Arist. Aves, vs. 288:

τίε ὀνομάζεται ποθ' οὔτος;

Lege τί δ'.

Ibid: vs. 307:

οἶμοι, κεχῆχσιν γέ τοι

Immo: κεχῆχσὶ τί τοι.

Ibid. vs. 495:

ἐς δεκάτην γὰρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς ὑπέπιπον ἐν ἄστει,
κάρτι καθήδου, κ. τ. λ.

Scribe κᾶτα.

Verg. Aen. I, vs. 425:

Instant ardentēs Tyrii, pars ducere muros
Molirique arcem et manibus subvolvere saxa,
Pars optare locum tecto et concludere sulco.
Pro optare lege aptare.

Iuven. Sat. II, 120:

ingens

Cena sedet, gremio iacuit nova nupta mariti.
Pro sedet lege stetit.


Onjuist zegt *G. Weber*, Handboek der Algem. Gesch. I, pag. 58: „Het drama, dat evenals dans en muziek reeds vroeg bij de Indiërs bekend was, bereikte onder den *Griekschen* invloed meerdere volkomenheid.”

Objectiviteit is de eerste plicht van den geschiedschrijver.

Zelfs met het oog op hetgeen hij van Cleon (III, 36, 6 en IV, 21, 3) zegt, mag aan de onpartijdigheid van Thucydides niet worden getwijfeld.

Het doel der aesthetische kritiek is tweeledig:

- 1^e. Opsporing van het schoone.
 - 2^e. Objectieve waardeering van de wijze, waarop de kunstenaar het schoone voorstelt.
-



CORRIGENDA.

Pag. 22 vs. 6: ambo	lege: ambae.
> > — 12: Orestes	> Orestis.
> 30 — 1; $\chi\sigma\iota$	> $\pi\sigma\iota$.
> 31 — 18: percussus	> percussa
> > — 28; queritur	> queruntur.
> 39 — 1: habent	> habeat.
> 40 — 9: coenae nefandae	> coena nefanda.
> 43 — 26: facturum	> facturam.

C. C. B. L.

